Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Professoris, In Prophetam Nahum Commentarius : In quo textus Analysi perspicua illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis S.S. parallelis confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur. Usus vero in Locis communib[us] ex ipsa scriptura natis & probatis indicatur ; Adiectus est in fine index verborum & rerum memorabilium

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordius: Pedanus, 1623

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469/phys_0001
DFG

Pr. 219 pag. Fnd
72 p Fnd
99 p Fnd
99 p Fnd

I. d. 1035 1–4.

49 6. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469/phys_0002
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Professoris,

In Prophetam

NAHUM

COMMENTARIUS:

In quo textus

Analysi perspicuâ illustratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
locis S.S. parallelis confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur.

Usus verò in Locis communib⁹ ex ipsâ scripturâ natis & probatis indicatur.

Adjectus est in fine index verborum & rerum memorabilium.

Psalm 23, vers. 4.
שִׁבְטְךָ וּמִשְׁעַנְתֶּךָ הֵמָּה יְנַחֲמֻנִי׃

ROSTOCHI
Johanne Hallervordio Impensas suppeditante, Typis Joachimi Pedani exscriptus.
Anno æræ Christianæ 1623.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469/phys_0003
DFG

JEHOVÆ
SACRUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469/phys_0004
DFG

PROLEGOMENA IN NAHUMUM

זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ׃

AD Nahumum ex recensione hebræorum inter prophetas minores septimum explicandum quando accedimus, more nostro, sed solito brevius, quædam præfabimur, visuri, *quis, quid, quando, quibus, quâ occasione, quo fine, & quotuplicia* prophetaverit. προλεγόμενα 7.

I. Nahum *quis* fuerit, paucis ipse indicat in suæ prophetiæ titulo, nempe *videns* seu propheta *ex Elkosch*, viculo Galilææ (ut in h. l. scribit Hieronymus) oriundus. Hebræũ nomen נַחוּם si interpretari velis, significatione idem est, quod נוּחַ i. e. consolator, cum à Rad. נָחַם i. e. consolatus est, utrumq; sit deductum, illud integrâ, hoc per apocopen Gen. 5, 29. literâ ultimâ resciſſâ. Et hic quidem omen nomen habet, siquidem pijs Judæorum reliquijs fuit magno solatio hoc ejus vaticinium: in quo 1 *Quis hic propheta & nominis etymon.*

II. Immensam Dei porentiam describens Assyrijs primùm ultionem divinam & interitũ prædicit: omnes eludẽdi hujꝰ divini judicij vias præcludit, & præsidia adimit, ex hostiũ, quos immissurus est, formidabili descriptione, atq; exemplo aliarũ civitatum æquè potentiũ, Deo fore longè facilimam harum minarum executionẽ docet, videlicet ut exscindatur Nineve, & imperium ad Chaldæos transferatur, quæ omnia faciunt ad consolationem piorũ 2. *Summa prophetiæ.*

Judæorum, quibus multa mala Assyrij intulerant. quo modo veri prophetæ Nahum fungitur officio, securis legem, pavidis conscientijs Evangelium proponens.

3. *Quando.* III. *Quando* vixerit, non indicatur. Si argumentum libri respiciamus, maximè probabilis est eorum sententia, qui putant, quod sub rege Hiskia & sequentibus aliquot prophetaverit, sicut latiùs cum Deo in explicatione historiarum, quas attingit, deducetur.

4. *Quibus.* IV. *Quibus* prophetaverit, & contra quos, obscurum esse illi non potest, qui ultimum, & primum capitis primi versum inspexerit, de quibus postea.

5. *Quâ occasione.* V. *Occasio* hujus fuit, Assyriorum in Judæos crudelitas, & horum calamitas, de quâ illi effusè lætabantur, hi verò valdè angebantur.

6. *Quo fine.* VI. Igitur *hoc fine* tum Dei jussu prodijt hic Nahumus, ut illis exitium, hisce lætum ex tantis malis exitum annunciaret. Scripta a. est hæc prophetia ad nostram doctrinam multiplicem Rom. 15, 4. 2. Tim. 3, 15. 16. quam in singulis deinceps videbimus. D. Apostolus suo nobis præit exemplo, quando ex capitis primi v. ult. vocationem verbi divini ministrorum esse necessariam probat. Rom. 10, 15.

7. *Partes prophetiæ.* VII. Non nunc προλεγόμενα concludemus, ubi dispositionem hujus prophetæ generalem exposuerimus, quæ est hæc: Prophetiæ summa constat hoc Enthymemate. Deus est zelotes adversus impios Ecclesiæ hostes c. 1. v. 2. 3. & bonus erga pios hujus cives: Ergo hos salvabit, v. 7. illos perdet unà cum loco suo v. 8. quod postea per sua membra latiùs explicatur. Prius de hostibus Assyrijs, prædicendo communiter interitum omnium, v. 9. singulariter regis ipsorum cladem v. 14. quæ amplificatur contrario, videlicet:

licet Judæorum gaudio, v. 15. Posterius de loco, hoc est, civitate Ninive, cujus excidij denunciatio constat Narratione c. 2. & Confirmatione v. 3. Illius membra principalia sunt duo; Unum descriptio, quâ comprehenduntur I. Antecedentia, ubi depingitur hostilis adventus v. 1. 2. & exercitus v. 3. 4. II. Resipsa, nempe oppugnatio v. 5. ac expugnatio v. 6. III. Consequentia v. 7. seqq. Alterum membrum est clausula Epiphonematica v. 13. Hæc, confirmatio, quæ c. 3. convincitur, partim veras excidij causas ponit, injustitiam v. 1. 2. 3. & Idololatriam v. 4. 5. 6. 7. partim falsas fiduciæ causas tollit vers. 8. seqq. de quibus postea in ἀναλύσει specialiori.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum.

Summa.

DEus in hostes suos populicq; sui malificos potentissimus & severissimus: In bonos vero & fideles gratioso, minatur vastitatem civitati Ninive, imò toti Assyrorũ regno, & hinc Judæos consolatur, quod minimè ab horum duce Sennacheribo sint capiendi, sed ejus mortẽ citò audituri, & deinceps tranquillè sua festa celebraturi.

Ανάλυσις popularis.

Partes capitis alij populari modo constituunt quinq;, ita ut sint in I. prolegomena quædam. II. Thesis, Deum iratsci hostibus suis, eosq; vindicaturum. III. Antithesis, Deum suæ Ecclesiæ curam agere, eamq; defensurum. IV. Conatus & Machinationes Assyriorum contra Judam Deum repressurum. V. Evangelij concionem in Juda inchoandam esse, nimirum tempore Messiæ, quomodo à posteriori docet, eos tam diu esse conservãdos. Nos duas faciemus partes, Ἐπιγραφὴν καὶ προφητείαν. Illa complectitur prophetiæ hujus materiam seu argumentum, formam & modum

alia. partes duæ 1. Ἐπιγραφή.

2. περιοχὴ continetur Enthymemate: Ejus antecedens, hujus mẽbrum 1.

modum revelationis, & causam instrumentalem, per quam est divulgata v. 1. Hujus summa hoc continetur Enthymemate, Deus est zelotes adversus impios, & bonus erga pios. E. illos perdet, hos salvabit. Hæc vero particulatim explicantur, Nam antecedentis *pars prior de zelo & æstu iræ divinæ adversus Ecclesiæ hostes* proponitur v. 2. amplificatur I. occupatione, quam solvit distinctione objectorum: Est quidem bonus Deus, sed non ita, ut absolvat perseverantes improbos v. 3. II. Effectorum iræ Dei enumeratione, quæ fit generatim in fine v. 3. & speciatim, siquidem Deus marc arefacit v. 4. montes commovet, orbem concutit, v. 5. homines consumit v. 6. *Pars posterior de bonitate & amore Dei erga pios* v. 7. parte priori. Porro consequentis in Enthymemate pars una, *de salute piorum* explicatur v. 7. parte posteriori. Altera *de perditione hostium* proponitur *in universum* v. 8 exponitur per membra, quorum primum de hostibus Assyrijs in hoc capite absolvitur, prædicendo primùm communiter interitum omnium, quem proponit v. 9. initio, exponit, prius, modo unâ vice vos consumet, v. 9. posterius, similibus tribus v. 10. & causis, impulsivâ, quæ sunt peccata hostium, v. 11. ac finali, quæ est Ecclesiæ liberatio v. 12. 13. Deinde *singulariter de rege ipsorum* tradit, quod Deus sit ipsius nomen deleturus, idololatriæ instrumenta aboliturus, sepulchrum in templo dispositurus, & famam vilem redditurus v. 14. quæ amplificat â contrario, nempe securitate & pace Judæorum, quam describit â factis & causâ, nempe interitu hostis, v. 15.

2. & Consequens: ejus membrum 2.

PARS PRIOR.

Inscriptio libri hujus

Vers. 1.] Inscriptio hujus prophetiæ ita habet: *Prophetia onerosa Nineves*, Assyriorum metropoleos, per quam tamen

tamen Synecdochicè totum intelligitur regnum, *Nahumi Elkoschæi liber visionis* seu prophetiæ, per visionem supernaturalem à Deo ostensæ, Obad. 1. Prophetia oneroſa in textu hebræo dicitur מַשָּׂא à נָשָׂא i. e. sustulit, portavit, propterea quod significat nuncium tristem & minarum plenum, qui eos, contra quos est sublatus, premit, ut pondus magnum, dum scelera corripit, & pœnas ferendas denuntiat, estq; communis tristium prophetiarum titulus. Vide Jes. 13, 1. & 15, 1. 6. & 17, 1. & 19, 1. & 21, 1, 11, 13. Jer. 23, 33. 34. seqq. Hab. 1, 1. Zach. 9, 1. & 12, 1. Mal. 1, 1. Hoc loco verò in specie est contra Nineven & Assyriorum regnum directa hæc comminatio, quomodo genitivi recti apud Hebræos sæpè passivè significant, ut prophetia Nineves sit de Nineve, vel contra eam directa, quod & sequentia satis demonstrant. Est enim hæc visio velut fecialis epistola, qua Nahum nomine sui Imperatoris summi, i. e. Dei, bellum Assyrijs indicit, quem propterea statim describit, consiliumq; ejus & causas iræ commemorat, belliq; modum ac progressum subjicit. Quod de constructione dixi, valde illustratur ijs quæ habet *Lutherus b. m. in cap. 2. Galat. v. 7.*

מַשָּׂא *quid sit.*

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.

I. *Prophetia oneroſa*] Cum Deus per prophetas hominibus peccato pollutis & gravissimas pœnas promeritis excidium futurum pronunciat, & vult, ut pœnitentiâ actâ illud evitent, illos absoluto aliquo decreto perdere non constituit: vide Amos 3, 6. 7. 8. & Jon. 1. 2. & discunt hîc verbi divini ministri, non tantum suum esse proponere Evangelij promissiones, sed etiam minas legales, qua de re pluribus dictum est in Amos 1, 2 L. C. 2.

Deus malum prædicit ut caveatur.

II. Ni-

Peccata arguenda sunt ἀπροσωπολήπτως

II. *Nineves*] Cum propheta hic vaticinatur contra Nineven urbem longè maximam, docemur, verbi præconum esse, ut sine προσωπολημψία libere loquantur, testantes parvo & magno, quæ sunt in Mose & prophetis, exemplo Pauli Act. 26, 22. 26. Johannis baptistæ, Matth. 14, 4. Nathanis, 2. Sam. 12, 7. Eliæ 1. Reg. 18, 18. & 21, 19.

Docenda sunt divina.

III. *Liber visionis*] Id tantùm docendum est in Ecclesia, quod Deus in sacris ostendit literis 1. Pet. 4, 11. Act. 26, 22. Jes. 8, 20.

PARS POSTERIOR.

Jehova potens.

Vers. 2.] Et satis benè propheta potentissimæ monarchiæ denunciaturus excidium ter maximi rerum omnium monarchæ justitiam & potentiam prius commendat hoc modo: *Deus fortis*, heb. אֵל, δυνατὸς ἢ ἰσχυρὸς ab אַיִל id est, fortitudine ac virtute, quæ omnis in & ab ipso, ut eum opponat diis gentium, qui nihil sunt, nihil possunt Ps. 115, 3, qua de re dictum est in Jon. 2, 8. *Zelotes* Exod. 20, 5. & 34, 6. qui in cultu suo non fert rivalem, & pro Ecclesia suâ sponsa ad iram concitatur, cum eam indignis tractari modis videt, vide Joel. 2, 18. Quando enim Assyrijs Deus tanquam virga uti in castigandis Judæis decreverat, ipsi pro sua libidine Dei populum perdere constituerunt, quod Deus jam sepuniturum minatur, Confer Jes. 10, v. 5. 6. 7. seqq. Zach. 1, 14. 15. nec tantùm zelo accenditur Deus, verum etiam suas minas potenter exsequitur, siquidem *ultor est Jehova* Ps. 94, 1. certissimus, inquam, *ultor est Jehova* super impœnitentes, & gravissimè ac vehementissimè excandescens, heb. בַּעַל חֲמָה i. e. *Dominus excandescentiæ*, ille ad quem jure hujus rei pertinet dominium, quique suam rectè potest moderari iram, ne injustè irascatur, sicut בַּעַל כָּנָף avis dicitur,

Zelotes.

בַּעַל חֲמָה

quæ

quæ pennis valet, & pro libitu ijs rectè uti potest, de quo loquendi genere vide *Drus. l. 10. obs. c. 22. & Lexicographos in voce* בַּעַל. Quin etiam ad mysterium Trinitatis pro tempore obscurius indicandum & ad magnam ἔμφασιν & asseverationem indicandam idem ter propheta hîc repetit, *ultor est Jehova in hostes suos*, quippe qui sunt Ecclesiæ hostes, quæ est Dei peculium, sic infra v. 9. nec facilè aut citò deponit iram, contra illos conceptam, sed eam *asservat in inimicos suos*, & qui criminum, quæ pœnitentes admiserunt, memoriam ad pœnam non retinet, is impœnitentium suorum hostium injurias in memoria semper habet recentissimâ, ne pij, quando hæc & similia prophetarum vaticinia aliquandiu differre vident, Deum suæ iræ oblitum credant. In textu autem hebræo ex hebraismo notissimo deest nomen conveniens ex præcedentibus & contextu toto supplendum quomodo verbum נָטַר aliàs simpliciter positum de iræ asservatione usurpatur Lev. 19, 18. Jer. 3, 5. 12. Psal. 103, 9. Confer Mich. 7, 8. ubi similem habuimus phrasin.

Cur ter idem repetatur.

נָטַר *asservavit iram.*

Vers. 3.] Sed quia hic objici poterat illud in scriptura de Dei longanimitate & misericordia πολυθρύλλητον, propheta jam statim præoccupat, *Jehova quidem longanimis est*, heb. אֶרֶךְ אַפַּיִם i. e. latinè, si velis interpretari, longus seu tardus irarum (de qua phrasi diximus Joel. 2, 13.) & *magnus virtute* hebr. גְּדַל־כֹּחַ magnus roboris (ita ut major sit ἔμφασις in rectione horum verborum) ne quis putet talem Dei longanimitatem, patientiam & punitionis exspectationem esse ex defectu virium, sed ita habendum, quanquam Deus posset improbos, si vellet, uno momento & dictum factum perdere, qua est virtute & robore, tamen differt pro sua lenitate summâ pœnam, ut habeant resipiscendi spatium; quod si obstinati negligunt,

Deus longanimis.

Compensat longas pœnæ gravitate moras,

נַקֵּה לֹא וְנַקֵּה quandoquidem per ejus justitiam *fieri non potest, ut omninò absolvat* nocentem, tanquam innocentem, imò absolvendo eum non absolvet, h. e. si hebraismum explices, ullo pacto non pronunciabit innocentem, coram quo innocens, si stricto jure cum eo velit agere, non est innocens, Exod. 34, 7. *Buxt. thes. 463.* Græci suo modo per participium quodammodo hanc locutionem adumbrant h. l. ἀθῳῶν οὐκ ἀθῳώσει. Quæ verò hujus severitatis causa? Hæc scilicet, quoniam cum perfractis peccatoribus Jehovæ via & administratio est valde formidabilis & potens, *cum turbine & procella*, & proinde coram eo improbus non amplius erit Prov. 10, 25. qui est velut stipula, Psal. 1, 4. Deus enim in cœlo est, & quicquid vult, facit Psal. 115, 3. incedit (si ἀνθρωποπαθῶς de eo velimus loqui & cogitare) per nubes, ut homines per terræ pulverem, celerrimeque progreditur, ut nubes in aere volantes, Jesa. 19, 1. & 60, 8. & sic *nubes pulvis pedum ejus est*, dum disponit densas nubes in vehiculum suum, Psal. 104, 3.

Nubes pulvis pedum Dei est.

Mirabilia in naturâ Deus facit.

Vers. 4.] Hujus verò potentiæ Dei hactenus descriptæ effecta quædam porrò explicat, quæ in elementis cernuntur, aquâ præsertim & terrâ, ejusque partibus firmissimis montibus, quos non tantùm sæpe suo honore Deus privat v. 4. sed etiam quandoque commovet, & de loco transfert v. 5. ubi observatio tenenda est illa, quod scriptura in prophetis sæpè commemorare soleat mirabilia in natura, quæ tamen à Deo solo fiunt, ut istis malos terreat, vide supra Amos 4, 13. & 5, v. 8. Deus enim est ille potens monarcha, qui *increpans mare arefacit*, subitò Jes. 50, 2. & *omnia flumina cum vult, exsiccat*, sicut testantur exempla; quæ vide

Exod.

Exod. 14, 22. Ios. 4. 2. Reg. 2. Psal. 66, 6. & 106, & 107. Plin. l. 2. nat. hist. c. 85. & 103. & in N. T. Marc. 4, 39. Luc, 4, 34. (ubi verbum hebræum עָרַץ per ἐπιτιμᾶν optimè explicatur) idem Dominus potens est in terra, siquidem facit, ut *languescat Barschan & Carmel* montes fertilissimi & amœnissimi, vide Joel. 1, 10. 12. Amos 4, 1. Mich. 7, 14. & *flos Libani languescat*, omnis ejus honor ac decor in floribus, arborumq; foliis pereat.

עָרַץ
ἐπιτιμᾶν

Vers. 5.] Quin & ipsi montes commoventur ab eo, metuq; divinæ potentiæ contremiscunt Exod. 19, 18. Psal. 18, 8. & 68, 8. & 114, 4. & 29, 5. 6. Matth. 17, 20. Amos 4, 13. & *colles sese dissolvunt*, Psal. 46, 7. & 97, 4. 5. Mich. 1, 4. Amos 9, 13. & in terræ motu *ipsa tellus se attollit à conspectu ejus*, hoc est, metu ejus (ut hunc hebraismum explicuimus in titulo psalmi tertij) & cohorrescit *orbis habitabilis* cum *omnibus habitantibus in eo*, quæ certè sunt mira, sed tamen vera divinæ potentiæ effecta, in quibus hîc subest vis argumenti à magis ad minus: si enim Deus, cum vult, elementa potest mutare, quomodo non possit regnum Assyriorum, cumlibet, evertere! Unde meritò generalis hæc sequitur conclusio: nihil igitur Deo potest resistere, cujus ira est velut ignis omnia consumens.

Creaturæ metu divinæ potentiæ contremiscunt.

Vers. 6.] *Coram indignatione ejus quis subsistat*, aut in statu suo permaneat? *& quis consistat in æstu iræ ejus?* nullus quidem, quantumvis potentissimus, qualem negativam responsionem in scriptura talis affirmata innuit interrogatio. Nam quis possit esse coram eo salvus, quum *excandescentia ejus copiosè effunditur*, velut pluvia cum tonitru, & *velut ignis* in fulmine accensus quomodo Deus ipse ignis consumens appellatur Deut. 4, 24. Hebr. 12, 29.

Interrogatis affirmativæ.

& ira ejus accendi & extingui dicitur Jer. 44, 6, & 7, 20. 2. Chron. 34, 21, 25. & hebræum verbum נָתַךְ quod h. l. adhibetur, de pluvia largiori, quæ funditur super terram, usurpari solet, Exod. 9, 33. 2. Sam. 21, 10. Job. 3, 23. & omninò alludere videtur propheta his verbis ad historiam eversionis Sodomæ, quando copiosè effusa est pluvia sulphuris & ignis Gen. 19, 24. sicut paulò post v. 8. ad historiam diluvij digitum intendit. Cum verò ita Dei excandescentia effunditur, *ipsæ rupes evertuntur ab eo* Matth. 27, 51. Jer. 4, 23. 24.

נָתַךְ

Alluditur ad eversionem Sodomæ & diluvium.

Vers. 7.] Et sic Deus in suos hostes malos est potentissimus: jam videamus, quàm bonus & gratiosus idem sit erga bonos & timentes sui. Nam quanquam *Jehova* est malis formidabilis ex justitia, tamen *bonus est* bonis ex misericordia, cum benigno benignum, & cum puro purum se præber, ut cum perverso eluctatur, Ps. 18, 26. 27. & quia illis bonis, quos ipse de mundo elegit, Joh. 15, 19. multum calamitatum semper obvenit in hac vita, ipse his *robori est*, vel potius, ut habent verba hebræa ἐμφαλικωτέρως, in robur, Buxtorf. thes. 454 455. *tempore angustiæ* Psal. 91, 15. quando animùm eorum contra mala obfirmat, ne desperent, quia *agnoscit*, novit cum affectu & probat (sicut prolixè de verbis notitiæ apud Hebræos, eorumq; significatione in scripturâ usitatâ dictum est in Psal. 1, 6.) ita ut juvet & nunquam deserat, nec sinat perire (sicut eos, quos scientia approbationis non novit Matth. 7, 23.) fide *se recipientes ad ipsum*, ut pulli gallinacei sub alas gallinæ, quæ est vocis hebrææ emphasis declarata Ps. 2. ult. & 5, 12. sicut in hac ipsa re, de qua agit propheta, rex Hiskia exemplo est 2. Reg. 18, 5. 2. Chron. 32, 8. & Lothus in deletione Sodomæ Gen. 19. quia semper firmum illud fundamentum Dei subsistit, habens hoc sigillum,

Deus bonus est bonis.

נֵרַע

חָסָה

lum,

Iam, Dominus novit i. e. probat, curat, tuetur eos, qui sunt ipsius 2. Tim. c. 2. v. 19.

Vers. 8.] Hactenus θέσις, sequitur ἀνάθεσις, in quâ prophetа, quæ suprà dixit de potentia Dei, ad Assyrios accommodat, ijsq; par pari relatum iri ex pœna talionis minatur, ut, quod alijs fecerunt, id ipsis, Deo mirabiliter ita dirigente, nunc accidat, cum prædicit fore, ut quemadmodum exercitu suo Judæam aliasq; ditiones pervaserunt, sic terram eorum Chaldæi invadant, & ut ipsi multas deleverunt urbes, sic illorum metropolis Nineve deleatur, quam cladē insigni metaphorâ ab aquis desumptâ irrundationem seu diluvium nuncupat, sicut Ps. 32, 6. eadem vox omnis generis calamitates denotat, quemadmodum & vox aquæ, Ps. 18, 17. & 32, 6. & 69, 2. 16. & 124, 4. 5. & 144, 7. & Esaias c. 8, 8. hanc eandem expeditionem atq; irruptionem bellicam, sicut & Dan. c. 11, 10 40. similem belli apparatum appellat exundationem: Sic autem habent prophetæ nostri verba: Itaq;, cum Deus tantùm paternè curet fideles, *inundatione* tandem prorsus *pervadente*, postquam sæpe bellorum fluctibus infestata est Nineve; *affecturus est Deus consummatione*, & omnino internecione delebit, Jerem. 4, 27. & 5, 10. & 30, 11. & 46, 28. Ezech. 11, 13. & 20, 17. *locum illius*, Nineves inquam, urbis illius maximæ Jon. 1, 2. & 3, 2. 3. quod in textu hebræo affixum fœmin. generis satis innuit, quod ad præcedens masculinum referri haud potest, ubi nota, quod in scriptura sæpe rei alicujus locus perire dicatur, cum perit ipsa Ps. 37, 35. 36. Dan. 2, 35. Apoc. 12, 8. & 20, 11. & in urbe illa *inimicos ejus*, puta populi Dei, de quo versu præcedente יִרְדֹּף *persequi faciet Deus tenebras*, h. e. immittit omnis generis calamitates maximas, quibus mandabit, ut hos malos

Assyriis par pari referetur.

Inundatio & aqua notant aliquando calamitates.

Nineve everteretur.

Locus rei i perire dicitur, quū i ipsa perit.

Tenebræ i. e. calamitates:

los persequantur, quæ scripturæ stylo tenebræ dicuntur, ut suprà aliquoties probatum, vide Ioel. 2, 2. Mich. 7, 8. Quomodo autem Nineve, antequam planè inundatione hac pervadente prorsus deleretur, bellis sit attrita & fracta, apud alios licet videre historicos & vel hinc licet cognoscere, quod primùm Phraortes rex Medorum eam diutissimè obsessam, & Cyaxares filius ejus post eum tenuerint. Deinde à Scythis occupata est in ea expeditione, cujus meminit Ieremias *c. 49.* 34. Tertio à Cyaxare iterum debellatis Scythis fuit capta, ac tandem, ne amplius Assyrij freti hujus urbis oportunitate contra Medos rebellarent, ab Astyage eversa est, sicut hoc loco alij copiosiùs id explicant.

Nineve bellis fracta.

Vers. 9.] Cum verò consumtione affecturus sit Deus Nineven, & facturus, ut sui populi hostes persequantur varia infortunia, quid est, quod vis, ô Assyrij, & inprimis Ninevitæ (ad hos enim sequens directa est apostrophe) *cogitetis*, & *adversus Jehovam* consilium capiatis? quando de ejus populo perdendo deliberatis, & contra Ecclesiam multa molimini, quæ Deus audit & cognoscit Zeph. 2, 8. cum vos corde & ore ita proloquimini, quod is nequeat suum populum contra vos defendere, 2. Reg. 18, & 19. & 2. Chron. 32. an putatis cum non posse perficere, quod minatur? Ecce ut dixi, *consumtione vos affecturus est*, imo, ut habent verba hebræa, consummationem ille est faciens; i. e. quam celerrime facturus, ac tam certò, ac si jam faceret, quomodo sæpè in lingua hebræa præsens pro paulo post futuro poni alias multis exemplis probavimus. Nunc vide Amos 2, 13. Ion. 1, 3. Adde Gen. 19, 13. 14. & 48. 21. & 50, 5. 24. Exod. 12, 33. 1. Mach. 1, 6. Actor. 27, 6. Matth. 3, 10. & 17, 11. 1. Corinth. 15, 35. Chemnit. p. 2. Harm. Evang. l. 3, p. 54. 55. Et ne putetis,

Benoni pro paulò post futuro.

tetis, posse fieri, ut sicut antehac factum est aliquoties, vires recolligatis, jam ita vos affliget una plaga, ut non opus sit iteratione 1. Sam. 26, 8. *non surget bis angustia*, quia primâ clade planè perdimini, propter obstinatam vestram malitiam, cum suos Deus castigare solet modicè, & cum quadam mensurâ, Ier. 10, 23. 24. & 30, 15. Esa. 28, 24. & 48, 9. 10. 11. Hæc explicatio se magis mihi probat, quàm altera vulgata; quasi hæc sint dicta de Israelitis, quod eorum hostes non sint duplici potituri victoriâ, nec ipsi bis eadem afficiendi clade: Prior enim expositio scopo prophetæ magis quadrat, & ex loco parallelo Paulò antè adducto confirmatur, ut taceam, quod etiam omnia ita melius cohærent, sicut & sequens similitudo triplex innuit, quâ omnimoda Assyriorum adumbratur deletio, quos alloquitur propheta, non autem pios. De reliquis vide *Exerc. bibl. edit. 2. p. 146. 147.*

Non surget bis angustia, est commination, non consolatio

Triplex similitudo.

Vers. 10.] Prima desumpta est à spinis, quæ colligatæ in fasciculum, simul comburuntur, ita ut nihil ex illis superstit: Secunda ab ebrijs, qui facilimè superantur & trucidantur; Tertia à stipulâ, quæ nullo negocio incenditur & facilime à flamma prorsus absumitur. Nam adhuc parum restat temporis (siquidem particula עֲד hoc loco pro עוֹד ponitur: ut Iob. 1, 16. Psal. 94, 13. Ion. 4, 2.) tum *æquè ac spinæ* perplexæ Psal. 58, 9. *perplexi* & impediti erunt Assyrij, foris ab hoste circumclusi, & intus cum animis suis inextricabilibus implexi difficultatibus, ita obstupefacti, ut nesciant omnino, quid consilij capiant. Confer Zephan. 2, 13. Esai. 33, 12. Mich. 7, 4. Nam velut spinæ, cum sunt ita implicatæ ut dissolvi facile non queant, simul à rustico conjiciuntur in ignem: Sic Deus hos, qui seipsos rebus intricatis implicuerunt, simul in belli flammam projiciet, ut tam facilè capiantur,

1. *à spinis.*

2. *ab ebriis*

3. *à stipulâ.*

עוֹד i. e. עֲד

Impij comburuntur.

Merum iræ divinæ

antur, *tanquam si mero obruti essent, & planè inebrietati*, somno vinoq; sepulti, mero verò iræ divinæ, vide Obad. v. 16. & confer exemplum Dan. 5. *Sic consumentur, velut stipula arida planè* & plenè, de qua similitudine in scriptura sæpe occurrente, vide supra Joel. 2, 5. Obadi. v. 18. Confer Job. 41, 21. Ps. 83, 14. Esa. 40, 24. & 47, 14. Jer. 13, 24.

Impij ut stipula.

Vers. 11.] Et ne possis conqueri de rigore hujus judicij, ô Nineve (ad quam se jam convertit Nahum) *ex te prodijt cogitans contra Jehovam* (ubi se refert propheta ad vers. 9. & hîc illud אֶל per עַל exponit ut Mich. 4, 3.) *consultor nequam*, qui omnibus justi & æqui ruptis repagulis malitiæ laxavit habenas, quasi sine omni jugo legis esset, unde vox hebræa composita esse videtur בְּלִיָּעַל, q. בְּלִי עוֹל vide in Psal. 2, 3. Per hunc vero consultorem nequam alij intelligunt in individuo Sennacheribum, qui consulebat populo Dei, ut se dederent, quod Deus eos liberare non posset 2. Reg. 18. 2. Chron. 32. Esa. 36. Alij verò in specie omnes, quotquot ex Assyrijs contra Israelitas mala cœperunt & dederunt consilia, ut Pul, Tiglath-pileser, Schalmanasar, Esarchaddon reges, eorumq; consiliarij. Cum vero rem & materiam subjectam considero, magis probo priorem explicationem.

אֶל pro עַל

בְּלִיָּעַל

Quis ille h. l. 1. 2.

Vers. 12.] Dicat vero quispiam, cum audit, quod Deus sit afflicturus tam graviter Assyrias; At Deus etiam suum populum severissimè tractavit sæpius? Respondet propheta, hunc castigavit paternè, illos est eversurus, quod ut tantò melius percipiant Israelitæ, deinceps ad Jerosolymam se convertit, cui in persona Dei omnia læta ad fausta, Assyrijs vero tristitia vaticinatur. *Sic ait Jehova, etsi in pace degant Assyrij, & ampli sint* potentiâ, multicq; numero, tamen ita

Pij castigantur, impij perduntur.

atton-

attondebuntur ac ille, qui *transijt* & perijt, sed contra, *ut afflixi te*, ô Jerosolyma, sic *non amplius sum te afflicturus*, h. e. diu prosperitate & pace optimâ frueris, vide Joel. 2, 19. Hunc sensum puto hujus loci simplicissimum, quem multi malè, & plerique interpretes variè reddiderunt, inter quorum interpretationes hæc videtur quàm proximè ad textum & hanc nostram accedere, quàm Junius habet: si pacem coluissent, nec populum meum tam crudeliter tractassent, ita etiam ampli fuissent Assyrij, non sic planè attriti, aut certè leviter saltem clade affecti, ac si fuissent ita tonsi, ut gramen, vellus, vel pili capitis, ut possint denuo succrescere, non truncati, non perditi, quales jam sunt, sed quasi transiviſſet malum, te verò ut afflixeram, non amplius ita sum afflicturus, sed prosperitas tua erit firma Esa. 48, 18. Verum si vocum quarundam tondendi seu abradendi Esa. 7, 20. & transeundi Psal. 37, 36. & 141, 10. Jacob. 1, 10. emphasin, Prophetæ scopum, & subjectam materiam respicimus, prior expositio priores tenebit facile. cui adjice h. l. illud Hieronymi in h. l. quomodo numerus capillorum acutæ forfici non repugnat, ita numerus adversariorum Dei succisione facilè tollitur, & videbis tondere hoc loco in malam partem, ac de hostibus accipi, sicut & Lutherus b. mem. reddidit.

Junij explicatio.

Tondere transire.

Vers. 13.] Hæc autem est prima differentia inter afflictionem Israelitarum & Assyriorum, quod illos Deus castiget modicè & ad tempus, hos planè perdat, & æternùm: Altera nunc subjicitur, quod illos sit erepturus, hos non item, quæ tamen etiam per Apostrophen ad populum Israeliticum profertur hoc modo, *Nunc vero fracturus sum*, inquit Deus, *lorum istius* Assyrij, & jugum seu imperium

Frangere lorum.

Psal. 125, v. 3. 4. & 129, 4. Esa. 14, 5. Zach. 10, 10. *à super te*, hebr. מֵעָלֶיךָ h. e, ne incumbat tibi defineeps, ita ut particula מִן h. l. etiam sit negativa, ut prolixe declaratum est Jon. 4, 3. & sequens ἐξήγησις idem clamat, *& vincula tua* (i. e. tibi imposita, quoniam pronomina adfixa adjuncta nominibus tam passivè, quam activè accipi posse, aliàs probatum dedimus) *disrumpam*, ne amplius sis Assyriis subjectus. Phrasin hanc vide Psal, 2, 3. & confer cum hac promissione eventum Esdr, 1, 4, 2. Chron. 36, 22. 23 descriptum.

מִן *negativè.*

Sennacherib interficietur ingloriùs.

Vers. 14.] Hujus sententiæ confirmatio apponitur per apostrophen ad Sennacheribum directam, cujus cædem nunc prædicit Propheta, quod Deus decreverit ipsum perdere, memoriamq; nominis penitus abolere. *Præcipit enim Jehova* suo exercitui cœlesti & terrestri *contra te*, ô Ninevita insolens, supra v. 11. misererè trucidaberis & memoria nominis tui hactenus celebratissimi prorsus obliterabitur, *non feretur* in sermone *de nomine tuo amplius*, è domo Deorum tuorum Nisroch. 2. Reg. 19, 37. Esa. 37, 38. per Chaldæos *exscindam idolum, sculptile omne & fusile, ibidemq; dissonam sepulchrum tuum*, ut non obscurè innuat, in templo eum interfectum iri à filijs, & hoc futurum est, *postquam* accepta insigni illa clade, & militum strage *vilueris*, qui eras adeo celebris per totum terrarum orbem Jes. 10, 12. 13. & 14, 25. & 37, 37. Jer, 49, 34.

Vers. 15.] Hoc cum jàm fuerit à Deo completum, tum demum in Israelitarum animis exorietur lætitia, tam tremendum, tam mirabiliter cæsum esse hostem, ut non immeritò hoc epiphonemate caput primum concludat Propheta: *Ecce*, inquit, & benè, in te subita inopinata & improvisa, *super his montibus*, qui in Judæa plurimi sunt, *pedes*

Evan-

Evangelizantis, lætum adferentis nuncium & *promulgantis pacem*, prosperitatem & tranquillitatem externam typicè, in Christo verò pacem internam, qui verè est pax Mich. 4, 3. 4. & 5, 5. (Qui loci utiliter eum hoc possunt conferri) quandoquidem more prophetarum, qui ibidem declaratus est copiosius, à terrenis ad cœlestia, à corporalibus ad spiritualia hic Nahum progreditur, à minus ad magis sic colligens: Si lætus de interitu hostis Sennacheribi est nuncius, quantò erit lætitior Evangelij de Christo nuncius, & de diaboli reliquorumq; infernalium & spiritualium inimicorum subjectione per Christum parta. Vide & Confer Esa. 52, 7. Rom. 10. 15. Sic autem *dicet* ille Evangelizans:

Pedes evangelizantis.

Nunc est canendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.

tempore Christi.

ô Judâ, quod *hactenus* per bellum non licuit, nunc *celebra festa tua*, aut, ut aliquo modo adumbremus hebraismum, feriare ferias tuas *Buxt. thes. 459. vota tua*, quæ vovisti pro salute, cum Assyrij te vexarent, *repende* Psal. 50, 14. & sacrifica Deo laudem ibid. v. 23. Nam *non pergit amplius* hostili more *in te transire*, Ioel. 3, 17. ille *nequam* de quo vers. 11. quia *totus excisus est* ejus exercitus ab angelo, ipse verò à filijs, ut in locis supra aliquoties citatis videre est.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.

I. *Deus fortis Zelotes & ultor*] Misericordia & ira apud Deum citæ sunt, sed super peccatores incubabit ejus indignatio, Sir. 5, 7. 9. & horrendum est incidere in manus Dei vivi irati, Hebr. 10, 30. cujus solius est vindicta, Deut. 32, 35. Rom. 12, 19. Exempla, quomodo Deus ultus sit omnes,

Dei ira erga peccata.

qui peccaris suis se ei opposuerunt nefariè, sacræ literæ suppeditant plurima, Caini, antidiluvianorum, Sodomitarum, Cananæorum.

Quod sit pius, Deo fit.

II. In hostes suos] Deus, quod fit pijs, sibi fieri dicit, quia eos adoptavit in filios Zach 3, 8. Psal.105, 15. Act.9, 4. Col.1, 24.

Ex versu 4.]

I. Longanimis, magnus virtute, ullo pacto non absolvit] Probatur hic Dei misericordia, omnipotentia & justitia, de quibus Dei attributis vide alibi plura.

Dei ira est velut turbo.

II. Jehovæ viæ cum turbine] Dei ira & severitas erga improbos in scriptura comparatur turbini, Psal.18,13. 14. & 29,3. & 50, 3. benignitas erga pios vento & auræ levissimæ 1.Reg.19, 11.12.13. Ut enim ille frangit & prosternit, & hæc recreat fessos, sic Deus malos sternit, contritos & abjectos erigit.

Ex versu 4.]

Prophetæ cur utantur phrasi Mosis.

I. Increpans mare, arefacit ipsum, omnia flumina exsiccat, languescit Baschan] Quando prophetæ de Deo loquuntur irato, plerumq; imitantur phrases Mosis legislatoris severissimi, & ad historiam ejus alludunt, ut ostendant, ex lege esse agnitionem peccati Rom. 3, 20. sine qua saxea hominum corda non mollescunt, ut ipsis Evangelij promissiones à Deo placato dulcescant, Psal.19, 10. 11.

Creaturæ Deo obediunt, multò magis homo.

II. Benedicunt Jehovæ omnes exercitus ejus, ab ipso summo Imperatore creati, Genes 2, 1. & ministri facientes placitum ejus, benedicunt Jehovæ omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus, Ps.103, 21. 22. pudicat igitur omnium rerum in hoc mundo à Deo constitutum Dominum, hominem dico Gen.1, 26. 28. si ipse vocem Dei, à

quo,

quo habet omnia, audiens, imperata non facit; Esa.1, 2. 3. 4. Ier.8, 5. 6. 7. Habac.3, 3.

Ex versu 4.]

Montes commoventur

I. *Montes commoventur ab eo*] Si à Deo montes contremiscunt, cur montes humani pectoris ad vocem ejus non expaveſcunt Esa 40, 3. Luc.3, 5. montes, inquam confidentiæ carnalis & superbiæ, Zach. 4, 7.

terra se attollit.

II. *Attollit se terra à conspectu ejus*] Ecce terra ipsa Deo quasi honorem exhibens assurgit in ejus laudem, quando ab ipso jussa est moveri contra suam naturam, quæ de re pluribus Ioel.2, 30. & homo, qui pulvis & cinis Genes.18, 27. sumtus de humo, in humum reversurus Genes. 3, 19. & propterea à materia, unde factus est, denominatus, Gen.2, 7. Dei minas contemnit, verbumq; ejus securè negligit! ut meritò dicas, quamobrem ita superbit terra & cinis? Sir.10, 8. 10. 11.

Ex versu 6.]

Coram Deo irato nullus potest subsistere.

Coram indignatione ejus quis subsistat] Coram Deo irato nemo potest subsistere Psal. 130, 3. nam improbi pereunt in via, quum exarserit vel minimum ira ejus, beati verò omnes, qui osculantes filium se recipiunt ac eum, Psal. 2, 12. in illo enim dilecto reddimur dilecti, Matth 3, 17. Eph.1, 6. & sine illo mediatore Deus ignis consumens est, Deut.9, 3. qui tamen sanguine agni immaculati fide infusi exstinguitur, Rom.3, 25. Ioh.1, 29. Hebr. cap.9, 21.

Ex versu 7.]

Bonus est Jehova.

I. *Bonus est Iehova*] & solus essentialiter Matth.19, 17. creaturis tamen, & præcipuè homini multa bona communicavit in creatione, sed longè plura & multò majora in redem-

demptione & recreatione seu regeneratione, ut meritò dicant omnes pij, laudate Dominum, quoniam bonus est, Psal. 118, 1. & 135, 1. seqq. Certe bonus est Israeli Deus puris animo, Psal. 73, 1.

Et refugium in angustia.

II. *Robori est tempori angustiæ*] Melius est confidere Jehovæ, quam hominibus Psal. 62, 1. 9. 10. & 118, 9 quippe ipse est refugium tutissimum in angustia, Psal. 46, 1. seqq. meritò igitur cum Davide exclamamus, Deus cedo nobis auxilium tuum, alioqui vanitas est auxiliatio humana, Psal. 60, 13. & 62. 2. 3. 10. Vide exempla sanctorum hinc inde in biblijs, nemo in ulla calamitate est pudore confusus, qui Deo ex toto pectore esi confisus, sed ipse juvat in tempore oportuno Psal. 9, 10. hic igitur solus in die angustæ est invocandus, Psal, 50, 15.

Tegens pios sub alis suis.

III. *Et cognoscit recipientes se ad ipsum*] Deus est velut pia galina, quæ suos pullos curat, fovet, defendit Matth. 23. 37. Sic enim ipse sub umbra alarum suarum pios tegit, ut meritò dicant, ala sua me protecturus est altissimus, quum sub alas ejus me recepero, clypeus & parma est fides ipsius, Psal. 91, 4. Ne igitur aberremus ab alis ejus, ne accipiter infernalis, qui sub cœlo circumvolitat, Matth. 13, 19. Eph 6. 12. rapiat nos tanquam pullos implumes. Non enim de se debet sperare Christianus, si vult esse firmus, vapore materno nutriatur, August. Ps, 88.

Ex versu 8]

Inundatio calamitatum pios non planè perdit.

I. *Inundatione pervadente affecturum est consumtione*] Cum magna calamitatum extremarum venit inundatio ad justificatos non pertingit, Psal. 32, 6. transeunt quidem & ipsi per ignem & aquam tribulationum Psal. 66, 12. & aquæ usq; ad animam pertingunt, parumq; abest, quin fluentum inun

inundas abripiat eos Psal. 69, 2. 3. nisi Jehova adesset ipsis, tunc aquæ illæ afflictionum inundarent eos, torrens superaret eos, Psal. 124, 4. 5, nempe robustus improbus similis innudationi aquarum validarum exundantium, Esa. 28. 2. 3. Sed improbos talis inundatio plane perdit Jer. 47, 3. Ezech. 13, 12. 13.

II. *Faciet inimicos persequi tenebras*] In hac vita calamitatum tenebræ premunt improbos, post hanc vitam autem demum in tenebras porjiciuntur exteriores Matth. 8, 12. & 22, 13. Nos verò singulis diebus, quando videmus irrucre vesperi tenebras, nobis hoc in memoriam revocantes oremus: Domine illustra oculos nostros, ne dormiamus dormitationem jam peccatorum, & deinde mortis æternæ, ne dicat inimicus noster diabolus, prævalui eis Psal. 13, 4. 5. Attolle super nos lucem faciei tuæ, Psal. 4, 7. Nam si facies tua non procedat, ne jubeto nos ex hac vita discedere Exod. 33, 15. penes te enim est fons vitæ & in luce tuâ fruimur vera luce, prosperitate & gaudio, Psal. 36, 10.

Tenebræ premunt malos.

Ex versu 9]

I. *Quid cogitaretis adversus Jehovam?*] Nullum consilium est ex adverso Jehovæ Prov. 21, 30. Jehova irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum, consilium vero Jehovæ in seculum consistit Psal. 33, 10. 11. hoc nostræ inserviat doctrinæ, ne quid moliamur, quod Deus prohibuit, siquidem illud consilium facilè dissolvitur Act. 5, 38. & nostræ consolationi, siqidem, si Deus est pro nobis, qui sumus in Christo, nihil contra nos, Rom. 8, 32. Et quod consilium ex Deo est, homines dissolvere nequeunt, Act. 5, 39. Esa. 8, 10. inite consilium & irritum fiet, loquimini verbum & non existet, nam nobiscum Deus.

Nullum consilium adversus Jehovam.

II. *Non-*

Pij modicè castigantur, impij perduntur.

II. *Non surget bis angustia*] Suos Deus castigat modicè & sæpè, improbos obstinatos tandem celerrimè prorsus perdit, ut nulla salutis spes superstit. Confer hìc Noachum & Antidiluvianos, Lothum & Sodomitas, Israelitas & Cananæos, Mosen & Pharaonem, Davidem & Saulem.

Ex versu 10.]

Impij comparantur spinis.

I. *Æquè ac spinæ*] Improbi sæpe in scriptura comparantur spinis (qua de re supra c. 7. Mich. v. 4.) vel his de causis. 1. I. Ut spinæ sponte sua facilè crescunt, & hinc inde in agris oriuntur: Sic impietas naturæ vitio facilè propullulat, & nisi supremus ille vinitor falce legis ac crucis eam resecuerit, grassatur libera passim. 2. II. Ut spinæ, postquam succreverunt, vel planè nullos fructus ferunt, vel saltem acerbos: Sic improbi nihil boni faciunt, multum vero mali Ebr. 12, 15, 16. 3. III. Ut spinæ non facile injurijs cœli læduntur, sed latè se ostentant, suis foliis per totam æstatem, floribus verò vel primum sub ver iniens. Sic impijs plerumq; in hac vita benè est, Ps. 73. Jer. 12. Job. 21. & coram mundo se ostentant, ut laurus Psal. 37. & 52. externis suis factis conspicui. 4. Vide parabolam Matth. 21, 18. Mar. 12, 13. IV. Ut spinæ aliud bonum semen suffocant, sic spinæ impiorum, curæ, divitiæ, voluptates hujus vitæ verbi divini incrementum impediunt Luc. 8, 14. 5. V. Nec spinæ sine damno tangi: nec cum impijs sine magno detrimento potest haberi commercium. 6. VI. Ut tandem ex agro aut horto eradicantur aut succidantur, & in ignem conjiciuntur: Sic impij tandem ex Ecclesia tolluntur velut scandala, & in ignem æternum projiciuntur Matth. 3, 10. & 13, 41, 42. Joh. 15, 6. inter quos piorum cœtus in hoc mundo fuit ut lilium inter spinas, Cant. 2, 2. Vide & Confer etiam hæc loca Esa. 5, v. 6, 7. & 7, 23. & 9, 18. & 10, 17. 34. & 12, 13. & 33, 12. Hebr. 6, 8.

II. Tan-

II. Tanquam si mero obruti essent] Calamitatibus ita pressos, ut quò se vertant, quid agant, nesciant, scriptura vocat ebrios, & calamitatibus ita affligi, bibere, qua de re dictum est in Obad. v. 16. *Et ebrijs,*

III. Consumentur velut stipula] Impij comparantur sæpe stipulæ, sicut enim hæ nihil proferunt, neq; ad aliud quippiam sunt utiles, quam ut conburantur: Sic quia illi sunt infrugiferæ arbores, propè est ut succisæ comburantur igne inextincto Luc. 13, 67. 8,9. *& stipula.*

Ex versu II.]

Ex te prodijt cogitans contra Jehovam malum consultor nequam] Cum omnia sint in hominis usum condita, ipse autem creatus, ut Dei gloriam propaget, longè maximum est flagitium, cogitare malum contra Jehovam, & obscura tum ire ejus gloriam, id quod cum omnibus alijs apertis flagitijs ac sceleribus sit, quibus Dei nomen blasphematur 2. Sam. 12,14. Rom. 2,24. Esa. 52,5. Ezech. 36,22. tum inprimis, quando callida contra Ecclesiam & populum Dei ineuntur consilia, Psal. 2, v. 1. 2. *Cogitare malũ contra Jehovam.*

Ex versu 12.]

I. Quamvis pacem colant & ampli sint] Nihil tam firmum est, quod Deus non possit reddere infirmum, nihil tam altum, quod non dejicere possit, vide in Obadi; v. 2. 3. 4. Amos. 9, v. 2. 3. & quod Deus bella advocet, immittat & dirigat ad ultionem ac pœnam Obadi. v. 1. L. C. IV. *Nihil Deo nimis firmum.*

II. Ut afflixeram te, sic non afflicturus fuissem amplius] De vicissitudine lætorum & tristium apud pios à Deo immissa, vide plura in Amos 5, 20. Obadi. v. 15. L. C. III. *Vicissitudo rerum.*

Ex versu 13.]

Tyrannos Deus tollit.

Nunc facturus sum lorum istius] Deus cum vult, facilè tyrannidem à suorum capitibus potest tollere, sicut cum-probant exempla Israelitarum, quos ex potestate Pharaonis, & postea sæpè per Judices ex manu suorum hostium liberavit, &c. Adde captivitatis babylonicæ solutionem, & crudelitatis Antiochi, Nicanoris, aliorumq; tyrannorum seditionem, de qua in libris Maccabæorum.

Ex versu 14.]

Et delet eorum memoriam.

I. Præcepit enim Jehova contra te, non seretur de nomine tuo amplius] Memoria justi in benedictione, nomen autem improborum putridū. Prov. 10. 7. & memoria perit, Ps. 9. v. 7. nam irata facies Jehovæ ad facientes malum ut exscindat è terra memoriam eorum Psal. 34, 17. Sir. 10, 19. 20. Nos quando impium Senacheribum tam misere occisum in templo audimus, id cogitemus, quod Herodotus narrat, apud Ægyptios Sennacheribo positam esse cum hac inscriptione statuam: ἐς ἐμέ τις ὁρέων ὅσιος ἔστω In me aliquis intuens, pius sit.

Ex versu 15.]

Idola perduntur.

II. Exscindam sculptile & fusile] Deus nomen Deorum alienorum perdit de terra cum suis cultoribus, qua de re supra aliquoties, vide Mich. 5, 12. 13. 14. & eos, qui in præceptum decalogi primum scripserunt.

Liberationes typi redemptionis.

I. Ecce super his montibus pedes Evangelizantis, promulgantis pacem] Ex læto Evangelij de Christo nuncio tandem vera animi pax & lætitia oritur Esa. 9, 3. 4. Cujus liberationis ex inferno typi fuerunt aliæ in V. T. liberationes, ex captivate populi Judaici, ut supra aliquoties fuit declaratum prolixius. vide in Exercitat. biblic. dictum Esa. 45. 8. & Apologiam ad idem.

II. Cele-

II. Celebra Juda festa, reprehende vota] Omnis verus Christi confessor (id enim nomen יְהוּדָה denotat) Deo pro liberatione cum ex omni malo, tum præcipuè ex morte & inferno, maximas agit gratias, exemplo Pauli, Rom. 7, 35. & 8, 2. *Deo gratias agunt pij.*

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum.

EXcidij Ninevitarum rationem, formam & effecta describit propheta, dum hostium adventientium ferocitatem, multitudinem ac fortitudinem: civium vero Nineves formidinem & miseriam, ipsiusq; urbis excidium graphicè depingit, ejus direptionem præfigurat, ipsiq; jam captæ & spoliatæ insultat, ac tandem hujus tam miserabilis excidij tã potentis urbis autorem ipsum Deum fore subjicit. *Summa*

Cum hactenus propheta in consequentis parte altera membrum prius de perditone hostium absolverit: Nunc accedit ad posterius, quod est de perditione loci ipsorum, seu civitatis Nineves totius regni metropoleos. Cujus excidij denunciatio cum constat narratione & confirmatione, hac in caput tertium rejecta, illam in hoc capite secundo proponit, ejusq; membra primaria sunt duo: Prius ipsius excidij descriptio: Posterius epiphonema concludens. In descriptione juxta Rhetorum præcepta notanda sunt hæc tria. I. προοίμια sive antecedentia, in quibus depingitur hostis adventus & exercitus: Illum simpliciter primum denunciat: Deinde exaggerat, etiam hortando sarcasticè, ut se contra eum paret omnibus modis Nineve v. 1. & causas impulsivas explicando v. 2. Hunc ita declarat, ut exponat ejus arma, videlicet clypeum & hastam, personarum qualitates, vesti- *Ἀνάλυσις*

Partes capitis duæ, I ubi Antecedentia.

menta, instrumenta quædam bellica, nempe currus v. 3. actiones; multitudinem, quæ tanta, ut præ copia inter se collidant: horridum aspectum, impetum ac violentiam. II. τὸ πρᾶγμα seu res ipsa, urbis scilicet tam oppugnatio, quam declarat ex adversæ partis, nempe Ninevitarum actionibus & inprimis regis, militiæq; ducum v. 5. quam expugnatio, quæ duobus objectis indicatur, portarum perruptione ac regij palatij destructione v. 6. III. ἐπιφώνημα sive consequentia, quæ sunt hæc: Reginæ, ejusq; ancillarum ac comitum captivitas, actionesq; miserabiles v. 7. Civium fuga v. 8. facultatum direptio v. 9. & initio 10. hominum, ad quos hæc calamitas vel pertinet, stupor, tremor ac dæsperatio v. 10. vel defertur per famam de tanta clade orta admiratio & insultatio ob rapacitatem regis, ejusq; filiorum v. 11. 12. Tandem in epiphonematica clausula v. ult. explicantur hæc: Causa efficiens principalis illius excidij Deus, ejus actiones & causæ impulsivæ, nempe rapina ac blasphemia Ninevitarum. Brevissimè, partes hujus capitis sunt duæ: Prior, τυπώσις cladis Ninevæ ac interitus Ninevitarum: Posterior de autore ejus, ne casu sibi hæc accidere existiment.

Res ipsa.

Consequentia.

II. Epiphonema.

PARS PRIOR.

Cur tam exacte hæc describantur.

Vers. 1.] Excidium impendens urbi Nineve hic valde exacte describit Nahum, atq; adeo, ut jam res ipsa non narrari sed geri videatur, tum ut in eventu conspiciatur Dei omniscientia, qui tam certò illa futura potuit prædicere, ac omnipotentia, quippe cui facilimum erit evertere illam, quantumvis potentem Monarchiam, cum ita jam pridem omnia illius subruendæ instrumenta ad manum habeat, tum ut homines magis serio cogitent de agenda pœnitentia. In

versu

versu autem primo duo potissimum sunt, unum, Chaldæos certissimè ad destruendam Nineven venturos: alterum Assyrios ad eam tuendam se paraturos, sed frustra. De illo ita incipit: *Ascendit*, advenit, more prophetico ad rei certitudinem præterito pro certissime futuro posito quoniam certissimè erat adventurus Chaldæus, h. e. in Assyriam properaturus, in quam qui contendebat, ascendere dicitur in scriptura Hos. 8, 9 ascendet autem *contra faciem tuam* ô Nineve (id quod affixum fœmininum iterum innuit in textu hebræo) *dissipator* Nebucadnezar cum Chaldæis, à quibus everteris & non secus contunderis, ac conteritur saxum sub malleo, qui hebraicè eodem quandoq; nominatur vocabulo מַפִּיץ, quod hoc loco extat Prov. 25, 18. & quod ad phrasin similiter Babylon totius terræ malleus vocatur Jer. 50, 23. tu vero ô Nineve, quæ hactenus evertisti alias urbes, memor virtutis pristinæ, agedum *custodi* contra hunc hostem *munitionem*, tua propugnacula, omnia fac & experire, ut eum abigas, frustra tamen eris, siquidem omnia mea verba apparebunt, quomodo propheta ἐρωνικῶς hortator eos, quibus obstinatis ac perditis vult insultare ut Esa 8, 9. *speculare*, inquit, *viam*, qua hostes venturi, ut obstruas & irruentibus occurras, ajo tibi, ignorabis: *Confirma lumbos*, expeditum & paratum te redde ad prælium & conflictum instantem, quomodo sæpius in scriptura hæc & similes phrases occurrunt, vide & confer hæc loca 1. Reg. 18, 46. 2. Reg 9. 1. Jobi 12, 18. Proverb. 31. 17. Esa. 11. 5. Jer. 1. 17. Ezech 23, 15. Luc. 12, 35. &c. Ephes. 6, 14. Vires *assume*, roburque tuum excita, siquidem in lumbis pars magna roboris animalium, sicut & sequens exegesis declarat, *fortifica vires valdè*, ἐρωνικῶς, q. d.

מַפִּיץ

Ειρωνεύεται

Confirmare lumbos.

Caput Secundum

Nullum tibi in toto superabit corpore virtus,
ita contremisces & fugies hostium conspectum.

Deus suos vindicat.

Vers. 2.] αἰτιολογία seu causa subjicitur, cur Deus sit eversurus hanc potentissimam Assyriorum monarchiam, nempe quia suos vindicaturus est, cosq; jam afflictos dignitati pristinæ restituturus. Nam cum hactenus Deus satis ultus sit suos, tam duas tribus seu Judæos seu Jacobæos, Mich. 3, 1. per obsessionem Sennacheribi, quam decem reliquas tribus seu Israelitas, quas curavit adducendas, nunc ordo puniendi ad te venit, ô Assur, tibi etiam subeunda est pœna, vide Esa. 10, 12. 22. 23. *reducet enim* (in textu hebr. iterum præteritum pro futuro est) *Jehova excellentiam Jacobi, sicut & excellentiam Israelis, quamvis evacuaverint eos* rapinis suis *evacuatores* seu populatores Assyrij *palmites eorum*, h. e. oppida ac pagos *corruperint*, idq; ita explicamus eò, quod populus Judaicus totus sæpè comparatur vineæ. vide Mich. 7, 1. Hic sensus hujus versus videtur simplicissimus, quem plerici interpretes fatentur esse obscurissimum, nam & verbum שׁוּב licet sæpissimè in biblijs usurpetur neutraliter pro reversus est, tamen etiam non rarò activè significat, reduxit, ut hæc loca confirmat Deut. 30, 3. Amos 9, 14. Psalm. 126, 1. 4. ubi etiam cum particula אֶת construitur. Vocabulum גְּאוֹן est ἀπὸ τῶν μέτων & pro subjecta materia, modo in bonam partem pro excellentia, modo in malam partem pro superbia ac fastu accipitur, & tum peculiariter גְּאוֹן יַעֲקֹב primo modo quandoq; pro Jerosolyma, Psal. 47, 9. quandoque pro omni excellentia, quâ hic populus Israeliticus alias nationes præcellebat. Posteriori pro fastu usurpatur ut Amos 6, 8. Denicq; particula כִּי crebro pro quamvis Gen. 48, 14. Exod. 34, 9. Jos. 17, 18. 1. Sam. 2, 25. Psal. 25, 11. & 41, 5. Vide

Terra confertur vineæ.

activè שׁוּב *ponitur*

est גְּאוֹן *ἀπὸ τῶν μέτων.*

Significat כִּי *quamvis.*

Exer-

Exercitat biblic. p. 63, 64. &c. ut ita facilè hinc scripturæ analoga hæc nostra apparcat explicatio, quæ & scopo prophetæ satis congruit, qui tantum abest, ut sit, terrere Israelitas, aut ijs tristia comminari, ut planè contrarium omnibus modis hic agat, sicut & superiori capite vidimus, nempe ut Israelitas soletur ex interitu hostium potentissimorum Assyriorum, quibus porro ex hostium, qui ad ipsos expugnandos venturi sunt descriptione terrorem incutit, quando ipsorum arma depingit.

Vers. 3.] *Clypeus*, inquit, *potentium ejus* Nebucadnezaris regis Chaldæorum *rubefactus* est, vel colore rubro, vel sanguine tinctus ad terrorem hostium, *bellatores* ejus robusti, viri roboris, hebraicè, h. e. magno robore præditi, *coccineis* vestibus sunt amicti, quoniam hic color milites generosos valde delectat, sicut de Lacedæmonijs fortissimis olim bellatoribus memoriæ proditum est, quod vestitu usi sint rubro, cum irent ad pugnam, idq; eam maximè ob causam, ne manans cruor per discolorem vestem animum simul ipsis demeret ac hostibus adderet. Horum vero bellatorum fortissimorum *currus*, ex quibus illi pro ejus temporis ratione pugnare solebant, Jos. 17, 16. 2. Sam. 10, 18. *erunt cum igne tædarum*, quod quidam ita interpretantur, quod ignem currum istorum obæratæ vel præferratæ totæ eliciant, si per saxa citato agantur cursu: Alij aliter explicant sine præjudicio quod fiat, puto esse potius hypallagen in scriptura satis frequentem, in curru isto, quo vehuntur milites animosi, erunt tædæ ignitæ, quibus utantur per noctem, ut sciant, quo eant, quomodo & tempus occupatæ Urbis quodammodo inuritur, vel per diem, ut illis incendant hostium ædes, & hoc futurum est *illo die* ac tempore illo, quo instruet ipse

Viri roborii.
Color coccineus.
Currus militares,
cum igne, quid?

ipse rex exercitum, delectu habito in diribitione, *quum abietes*, hoc est, lanceæ oblongæ ex abietibus confectæ in acie ab hastatis *agitabuntur horridæ*, dum modo attolluntur, modo demittuntur, ex qua concussione & vibratione lancearum oritur tremor in illis, qui impetum irruentium sustinere nequeunt, quæ est verbi hebræi רָעַל emphasis. Alii nonnulli ipsas abietes intelligunt, quibus per hyperbolen putant attribui agitationem cum horrore conjunctam ob fragorem & sonum horridum curruum, quos ita sint acturi Chaldæi, ut ipsæ sylvæ inde contremiscant: Sed prior interpretatio mihi magis se probat. Nam & amplificatio terroris, quem currus Chaldæorum sint incussuri Assyrijs, opponitur in versu sequente.

Abietes agitantur

רָעַל

Versus. 4] *Nam cursus illi per vicos*, passim in urbe *insanient* tam celeriter agitabuntur, ac si insanire viderentur eorum vectores, & quemadmodum collidunt coxis vel etiam cruribus suis ij qui celeriter in via angusta simul ambulant, sic præ nimia festinatione allident crebro sese hi currus discurrentes *per plateas* (שׁוֹק enim, qui cum verbum hebræum שָׁקַק quod *extat in textu* magnam habet cognationem, armum, latus, crus significat) & illi ipsi currus ferrati tam tersi erunt ac lucidi lucente sole, ac si ignis fulgeret, ignisq; ex oculis militum insidentium præ ira ac truculentia emicabit, *ut species earum* sit tanquam *tædarum ardentium*, seu accensarum lampadum (quod nomen latinum lampadis ex hebr. לַפִּיד deductum est) & sic instructi hi currus *tanquam fulgura perrumpent.* i. e, velocissime, quomodo fulgur celerrime apparet & disparet Matth. 24, 27 Luc 10, 18. & simul quemadmodum fulgor expavefacit homines, sic fulgidus horum curruum aspectus præstringit hostium oculos ac terrebit animos, adeo ut nequeant consistere.

שׁוֹק, שָׁקַק.

לַפִּיד

Ut fulgur i. e. citò.

Vers.

Vers. 5.] Hactenus dictum est, quales Chaldæi futuri, ac quomodo se gesturi sint in oppugnatione Nineves, & simul, quid facturi sint Assyrij, nempe, quamvis in se defendendis laboraturi sint diligentissime, tamen, quoniam Deum propugnatorem non habent, victum iri, juxta illud Psalmi 76, 6, 7. Dediderunt se in prædam robusti animo, dormitaverunt somnum suum, præ increpatione tua, ô Deus Jacob, consopitus est & currus & equus. utrumq; breviter repetit Propheta in v. 5. ubi primum, qua cura rex Assyriorum sit se paraturus ad bellum seu defensionem sui, & quo successu narrat: post studium hostium in oppugnatione urbis exponit. Nam rex Nineves, prout fieri potest, in illa angustia, militum suorum instituet delectum, *recensebit magnificos suos*, &, ut quisq; sit officij sui memor, caq;, quæ decent, præstet, monebit, sed frustra, nam illi præ nimia festinatione & consilij in tanta celeritate inopinata inopia, *corruent in ambulatione suâ*, & nihil earum rerum, quas occipient, recte sub manus succedet, sed ipsi animis & corpore concident. Quantò autem hi erunt magis formidolosi, tantò erunt hostes eorum Chaldæi animosiores, *festinabunt q; ad murum illius* urbis munitissimæ Nineves, vel nudi & non satis armati Am. 2. 16. ac si *paratus esset* certus *protector* seu præparatum tegumentum illud, quo tecti milites solebant oppugnare muros, & latere tecto poterant abscedere, quod tegumentũ rei militaris scriptores alias vocant testudinem, cum fiebat scutis, quod alias poterat præstari vineis aut pluteis.

Vincuntur quos Deus non propugnat

Ninevitarum stupor.

Testudo militaris.

Vers. 6.] Hanc autem militum oppugnantium audaciam adjuvabit temporis opportunitas, siquidem *portæ fluminum* i. e. Tygridis, qui propter magnitudinem & excellen-

Numerus pluralis notat excellentiã.

tiam, more hebræis usitato, in plurali appellatur numero, Vide *Exercitat. biblic. pag. 41. & 169. & 179* *aperientur*, & *ipsum palatium*, quodcunquè, tam idolorum, quam regis *dissolvetur* aquarum injuria collapsum, ut significet Propheta (quod etiam eventus comprobavit) hostes ingressuros urbem per eam partem, quam Tygris præterlabitur. Narrant enim historici, quod eo ipso tempore, quo à Chaldæis obsidebatur Nineve, crebris imbribus auctus Tygris insolita aquarum repletus copiâ, vicinos ripæ suæ urbis muros ad stadia viginti dejecerit, quam occasionem captantes illi, urbe potiti sunt. Vide saltem *Diodor. Siculum libr. 3. bibliothecæ cap. 7.*

Vers. 7.] Porro vero postquam statium militum præsidiariorum collocata est in arce, ipsa regina, quæ firma stabat, ac prius quieta domi desidebat, indeq; quod astet Regis dexteræ Psal. 45, 10. dicta est תֻּבָל, *deportabitur* ex arce sua ejecta in regionem ignotam transferetur cum *ancillis suis comitantibus* in *voce simili columbarum*, suspiriis ac gemitibus tacitis, siquidem ne quidem palam audebunt plangere, & ut scribit *Hieronymus* in h. l. tantus erit terror, ut ne in singultus quidem & ululatus more fœminarum erumpat dolor, sed tacitè intra se gemant, & obscuro murmure devorent lacrymas in morem columbarum mussitantium Esa. 38, 14. & 59, 11. Unde & futurum est, ut præ doloris ac tristitiæ magnitudine *pectora sua tundant*, ut illi qui pulsant tympana, quandoquidem jam omnis eorum decor ablatus, ac prosperitas, eversa Nineve.

Vox columbarũ.

Vers. 8.] Nam fuit illa hactenus *velut piscina aquarum*, quæ sicut aqua ac piscibus abundat, & in quam multi rivi sæpius confluunt. sic Nineve fuit urbs amplissima civibus ac opibus

Nineve confertur piscinæ.

opibus florentissima, & in qua plerique homines tam otiosè, delicatè ac facilè vivebant, ut pisces in piscina instructissima, & porro, quemadmodum solet fieri, ut cum tollis aggerem piscinæ objectum, vel si major aquarum vis in eam irruat, effringens repagula objecta, & parvo hujus alveo non contenta exundet, statim magno impetu hujus aquæ effluant: sic etiam cum muri Nineves ad Tigrin fuerunt dejecti (Vide supra v. 6. & Confer supra c. 1, 8. ubi hanc irruptionem bellicam propheta appellabat inundationem) vi aquarum, & jam aliæ aquæ multæ, metaphoricè hîc accepto vocabulo secundum scripturæ stylum pro populis, ut Es. 8, 7. Apoc. 17, 15. irruperint, tum cives Nineves elabentur, omnesque opes velut pisces inde aliò abripientur, vide Amos 4, 2. & quicquid in hanc urbem confluxit, omne effluet, licet diu steterit florentissima, ex quo tempore est ædificata Genes. 10, 11. atque adeo creverit, ut esset urbs in toto oriente longè maxima & celeberrima, vide Jon. 1, 2. & 3, 2. 3. Verum nunc actum erit de illa, siquidem, quando urbem capi videbunt cives, pugnæ obliti pristinæque virtutis, quacunque poterunt, fugæ se dedent, ut aquæ piscinæ rupto objecto aggere. Nam nemo poterit ex fuga reprendere aut ab illa avertere *ipsos fugientes*, si quis inter eos cordatior dicat: *Consistite, consistite* state viri vosque viros præstate ac patriam defendite, tamen *non erit ullus, qui possit eos resupinare*, ex fuga retrahere, aut saltem efficere, ut facie retrò conversa ad hunc inclamantem respiciant aut redeant.

Aquæ i. e. populi.

Vers. 9.] Quod cum factum fuerit, ac urbis in hostium manus devenerit, à suis civibus relicta, hæc erit vox Dei ad Chaldæos, quâ velut animabuntur, ad eam audacter despondandam, ut Es. 10, 6. (in quâ repetitio magnam habet em-

Direptio Nineves.

phasin, repetitionique in priori versu positæ quasi per ludibrium est opposita.) *diripite argentum*, agite, si quid agitis, *diripite aurum & infinitum apparatum istum*, quod hactenus superbijt, *gloriam ex omnibus instrumentis* & vasis *desiderabilibus*, siquidem apud vulgus gloria hominibus existit ex magnis divitijs, 1. Reg. 10, 23. 2. Chron. 32, 27. & sic fiet, ut urbs illa hactenus florentissima omnibus bonis ac opibus spolietur, cives autē & milites veluti attoniti ac obstupefacti summi sui metus in omnibus membris, in quibus metus cernuntur signa, velut in oculis, facie tota ac genubus manifesta prodant indicia.

Vers. 10.] Nam urbis erit *vacuitas* (abstractum pro concreto sumptum notat superlativum) & quidem maxima *vacuitas*, & tota *exinanita*, ubi in textu hebræo est valde elegans παρονομασία בּוּקָה וּמְבוּקָה וּמְבֻלָּקָה, & quemadmodum in his verbis numer⁹ syllabarum, sic ipsa oratio crescit, quoniam erit valde magna hæc despoliatio, adeo ut inde præ nimio metu *animus civium liquefiat* i. e. planè concidat, scripturæ stylum si attendas, qui vel in his locis observari potest, Jos. 2, 11. & 5, 1. & 7, 5. Deut. 1, 28. & 20, 8. Esa. 13, 7. Ezech. 21, 12. ac porro inde orietur *collisio genuum*, quemadmodum in timore magno solet occupare tremor genua Dan. 5, 6. Job. 4, 4. Esa. 35, 3. Hebr. 12, 12. ac *dolor*, qualis est parturientium Joel. 2, 6. Mich. 4, 9. 10 h. e. *maximus*, quod indicat forma vocis hebrææ duplicata, *erit in omnibus lumbis* Esa. 13, 8. & 21, 3. Ezech. 29, 7. ut tota tua vis fracta appareat, siquidem in lumbis pars potior roboris, supra v. 1. & *facies eorum omnium contrahent nigrorem ollæ*, lividæque præ metu apparebunt, de qua phrasi Joel. 2, 6. & Confer Esa. 13, 7. 8. hæc autem ita in exterioribus membris cerni solent in metu majo-

Παρονομασία αὐξητική.

Animus liquefit,

Genua labant.

חַלְחָלָה

Contrahunt nigrorem ollæ.

Signa metus.

majori, eò quod calor naturalis ad cor, vitæ sedem, se intrò recipiat, ac ita reliqua exteriora membra ad tempus deserat, vitalique calore ac nativo colore quodamodo destituat.

Vers. 11.] Tum verò, quando hæc contigerint, ad quorumcunque aures pervenerint tam horrenda, illi tantum aberit, ut condoleant afflictis, id quod summo eis solet esse solatio, ut etiam devictis Assyrijs ac precipuè vastatæ Nineve insultent, avaritiam, rapacitatem & crudelitatem eorum exprobantes, sicut Esa. 14, 10. 11. 12. dicent, *ubi nunc est lustrum illud præclarum leonum, & quod pascuum erat juvenum leonum, quò*, quando aliquid rapuerat, *ibat leo*, quò se tanquam in locum tutum recipiebat, & *leunculus, catulus leonis* se itidem conferebat, securè ac *nemine deterrente*. In quâ allegoriâ propheta propter rapacitatem ac crudelitatem regem leonem, ejusque filios leunculos appellat, & prædonum horum insignium habitacula ac palatia lustra seu spelæa leonum nuncupat, sicut & Ezechiel c. 19, 2. 3. Paulus 2. Tim. 4, 17. Daniel illorum, qui quatuor monarchiarum fuerant & futuri erant rectores ingenium sub quatuor animalium figura depingit cap. 7, 4. seqq. Vide etiam plura hac de re ad Psal. 7, 3. & Psal. 10, 8. 9. 10. Unde facilè de scripturæ analogia constare poterit, & hîc satis disertè se in sequenti versu explicat Nahum, cur vocaverit reges & primores regum proceres, leones, quia inquit rapuerunt, sicut primus hujus monarchiæ conditor Nimrod fuit magnus venator coram Domino Gen. 10, 8. 9.

Nineve illuditur.

Allegoria à lustris ferarum.

Vers. 12.] Siquidem unusquisque eorum regum *fuit leo rapiens*, & tantum sibi per violentiam undiquaque auferens, *quantum sufficiebat catulis suis, & strangulans*, suffocans, occidens alia animalia *leunculis suis*, unde eos sustentaret, hoc

Rex Nineves raptor.

est, ut dicam jam simpliciter, *implebat rapina cavernas suas*, palatia sua regia, in quibus residebat, & *illa lustra sua*, si rectè velis appellare, *replebat rapto*, quod per vim tum à suis subditis, tum alijs extorquebat, qua de re vide 2. Reg. 18, 10, 11. 14. 34. & 19, 23. 24.

LOCI COMMUNES

Ex versu 1.]

Deus punit per hostes.

I. *Ascendit dissipator*] Deus regna facit formidolosa & fortiora alijs, per quæ vult punire juxta legi suæ additas comminationes Lev. 26, 6. 7. 16. 17. Deut. 2, 15, & 11, 23. 25. & 28, 25. Vide Joel. c. 2, 7. 11. puniendis autem horrorem incutit, ut ibidem docetur. Exempla sunt 1. Chron. 14. 15. 2. Chron. 17, 5. & 20, 22. Jud. 7, 13. 14.

Frustra nisi Deus.

II. *Custodi munitionem*] Frustra se armis tueri præsumunt, qui Deum habitent iratum. exemplo sunt Benjaminitæ, Iud. 20, 28. 41. Vide Amos 9, 3. Obadi. v. 4.

Ironia sancta.

III. Cum hæc ironicè proferantur sine dubio à sancto Dei propheta, docemur, non omnem Ironiam dedecere sanctos, sed eam tantum, quæ ex malo proficiscitur animo: Hæc vero & similes etiam instruunt, qua de re vide quæ prolixius dicta sunt in Amos 4, 4. Quibus adde etiam hæc exempla probata vel ipsius Dei, vel sanctorum Dei hominum. 1. Reg. 18, 27. Ezech. 28, 3. Jud. 10, v. 14. Gen. 3, 22. Iob. 38, 5. 20. & 40, 9. Esa. 14, 10. & 16, 12. & 21, 5. Matth. 19. v. 17. Luc. 11, 41. 1. Cor. 4, 8.

Ex versu 2.]

Deus pios eripit.

I. *Reducet Jehova excellentiam Jacobi*] Deus non permittet, ut justus perpetuò affligatur. Rejiciamus igitur nostram curam in eum Psal. 55, 23. Quando enim deduxit homi-

hominem in consilio suo, postmodum cum recipit in gloriam Psal. 73, 24. Toleremus modò ad parvum momentum, quia benignitate sempiterna Deus nostri miserebitur Esa. 54, 7. 8.

II. Licet evacuarint eos &c.] Væ tibi qui spolias, nam mox spoliaberis ipse Esa. 33, 1. & ut fecisti alijs, sic fiet tibi, Obad. v. 15. *Pœna talionis.*

III. Et palmites eorum corruperunt] Peccant gravissimè, qui Dei judicia, quæ ipsis expedienda commisit, pro sua libidine exercent, atq; exasperant, sicut hi Assyrij Esa. 10, 5. 7. & 47, 6. Ezech. 25, 2. 6. 12. Zach. 1, 15. *Crudelitatem odit Deus.*

Ex versu 3.)

I. Clypeus potentium ejus rubefactus] Sanguis humanus si vel colore repræsentatus in clypeo alijsq; rebus, terrorem alijs incutit, quanto horrore olim expavescent impij, quando sanguinem filij Dei Actor. 20, 28. quem ipsi tam nefarie conculcarunt in hac terra, Hebr. 6, 6. & 10, 29. videbunt in sanctissimorum ejus vulnerum cicatricibus, quas sine ulla imperfectione per ἀκριβολογίαν quandam retinuit Ioh. 20, 25, Zach. 12, 10, Apoc. 1, 7. *Sanguis terret.*

II. Cum igne tædarum currus ejus] Si ignis à bellatoribus accensus omnes valde commovet, quantò magis est timendus ille ignis, quo tota cœli terræq; machina cum stridore maximo conflagrabit 2. Thes. 1, 8. 2. Pet. 3, 7. 10. 12. Cum autem hæc omnia ita dissolvenda sint, quales oportet nos esse? Tales, ut in sanctis conversationibus & pietatibus exspectemus adventum hujus diei ibid. v. 11. 14. attendamus, ne graventur corda nostra Luc. 21, 34. sed ea à terrenis elevantes sursum ad Dominum respiciamus oculo irretorto Luc. 21, 28. Rom. 8, 23. Col. 3, 1. 2. *Time meo ignem.*

Ex

Ex versu 4.]

Cum Deo facilè vincitur:

Per vicos insanient currus] Quos milites Deus armat, citò facilè ac feliciter omnia perrumpunt. Ille enim revera est Dominus Zebaoth, & Dominus bellipotens Psal. 24, 8. Vide in Obad. v. 1. Joel. 1, 4. Amos 4, 13. & nihil coram illo irato potest subsistere, supra c. 1, 4. 5. 6. quo exsurgente, dissperguntur omnes inimici ejus Psal. 68, 2. 8.

Ex versu 5.]

Sine eo nil præclari fit,

I. Recensebit magnificos suos, sed corruent] Contrà cum quo exercitu Dominus non procedit, concidit Ps. 44. 10. 11. Num. 14. 9. 42. Jos. 7, 5. nam ille est munitio tenui, quâ aliqua angustia est, receptus ab inundatione, umbra ab æstu Es. 25, 4. Sic cadit coram Davide Goliathus 1. Sam. 17. Coram Jonathane & ejus armigero Philistæi 1. Sam. 14, 6. 12. 13. Coram Gideone & trecentis, ingentes Medianitarũ copiæ Jud. 7.

quia ipse animat milites.

II. Festinabunt ad murum] Deo etiam in medijs periculis sine medijs facilè est animosos reddere & securos, quorum operâ ipse uti cupit, ut sua jussa expediant, vide Joel. 2, 8. 11. & 3. v. 10.

Ex versu 6.]

Cum vult Deus, quæ prosunt, obsunt.

Cum portæ fluminum aperientur] Cum Deus puniturus est, etiam ipsa propugnacula, quibus maximè confidunt homines, hostium conatus adjuvant, ut videre est in muris Jerichuntis Jos. 6 23. sic per Euphratem capta est Babylon: per militem externum in urbem defendendi gratia intromissum, perdita est Hierosolyma tempore Vespasiani, & quoties nostro tempore tormentis bellicis pulvere nitrato, &c. se ipsos læserunt hostes?

Ex versu 7.]

Et statione posita deportabitur Regina] Deus sæpè etiam sexus

sexus muliebris graviter punit luxuriam Deut. 28, 56. Esa. 3, 17. Et quamvis ipse in expunatione urbium hunc imbellem sexum necari vetuerit Deut. 20, 14. tamen non rarò ob multiplicia flagitia ab eo commissa crudeliter milites in eum sævire permittit. Et ne quis hæc immeritò contingere existimet, cogitet, quod plerisq; innata sit superbia cum Eva Gen. 3, 6. Unde oritur fastus & luxus, pestes Rerumpublicarum pessimæ, sicut testantur exempla Isebelæ 1. Reg. 21, 7. seq. 2. Reg. 9, 30, Herodiadis Matt. 14, 6. 8. Bernices Act. 25, 23. Contrà verò quæ deceat esse fœminarum piarum humilitas & ornatus, declaratur 1. Tim. 2, 9. 10, 11. 1. Pet. 3, 3. 4. &c. *Fastus mulierum punitur.*

Ex versu 8.]

I. Fuit quidem Nineve velut piscina aquarum] Propter injustitiam, aliaq; flagitia regnum de gente in gentem transfertur Sir. 10, 8. Exemplo sunt Cananæi Lev. 18, 25. Samaria, Jerosolyma, Nineve, Babylon & Monarchiarum translationes, quæ præfigurantur Dan. 7. *Ob peccata immittitur vastatio.*

II. Fugientes nemo avertet] Deus armat manus ad prælium Psal 144, 1. Idem in pœnam antegressæ impietatis animum militibus demit, ut nequeant coram hoste consistere, sed fugam cogantur capessere Lev. 26, 6. 7. 8. 33. 36, 37. *& timor.*

Ex versu 9.]

I. Diripite argentum] Pœna eorum, qui per fas & nefas ditescunt est hæc, quod cogantur alijs opes suas male partas relinquere, Psal. 39, 7. Eccl. 2, 4. 9. 19, 26. Ne igitur apponamus ad opes istas evanidas animum Psal. 62, 10. quas furipit, tinea & erosio consumit Matth. 6, 19. Sed demus operam, ut simus divites in Deo, Luc. 12, 20. 21. 33. & thesaurum habeamus in cœlo Matth. 6, 20. 1. Tim. 6. 19. *Divitiæ pereunt.*

Pœna luxu

II. Infinitum apparatum, gloriam ex instrumentis desiderabilibus [Hîc pœna proponitur luxus illius, qui in conquirendis vasis pretiosis nimis est occupatus, ut in illis se ostentet, sicut fecisse legimus Ahasverum, Esth. 1, 6. 7. Belzasarem, Dan. 5. 1. 2. confer etiam Esa. 39, 2. 6.

Ex versu 10.]

Deus auferet bona.

I. Vacuitas maxima] Dominus dedit, dominus abstulit Job. 1, 21, non tantum pijs in gratia, sed etiam improbis in irâ Hos. 2, 8. 9. Est igitur etiam hæc vanitas non postrema inter homines, congerere sibi multa, easq; relinquere alijs Eccl. 2, 4. 5. 6. seqq. Quandò verò major est miseria nobis inspicientibus nostra nobis bona vi eripi? Deut. 28, 32. 33.

Mala conscientia.

II. Animus liquefactus præ metu] Res timida est impietas & statim mala conscientia hominem accusans terret, Sap. 17, 11. 12. Rom. 2, 15, Exemplo est Adam Gen. 3, 10. Cain Gen. 4, 5. Si igitur non vis serviliter timere superiorem, fac bonum, & habetis laudem Rom. 13, 3.

Metus pœnæ.

III. Collisio genuum, dolor in lumis & facies livida] Si ob malum aliquod temporale, quod tamen cum hac vita desinit, si non citiùs, tanta est in hominibus consternatio, ut ejus ubiq; manifesta appareant signa, quantò magis ob malum æternum & nunquam finiendum in inferno olim contremiscent impij damnandi. Certè ibi erit fletus, imo ejulatus, horrendus stridor dentium, faciei confusio & vermis non moriens Matth. 8, 12. Sapit. 5, 2. Mar. 9, 44. tum dicent montibus, tegite nos, & collibus, cadite super nos, Hos. 10, 8. Luc. 22, 30. Apoc. 6, 16. quærent mortem, & non invenient eam Apoc. 9, 6.

Ex versu 11]

I. Ubi est lustrum leonum] Justus cum perire videt obstinatè

stinatè improbum, ipse Deum reverenter colet, & de illo ridebit, dicens: Ecce virum illum, qui confidebat amplitudini divitiarum suarum! Ps. 52, 8. 9.

Pij gaudet de impij interitu.

II. Quos Deus voluit esse populorum pastores, hi sæpe sunt leones, non tondentes, sed planè deglubentes & absumentes pecus, qua de re vide Mich. 3, 2. 3.

Ex versu 12.

I. Leo rapiens, quantum sufficiebat catulis] Cum Deus sit distinctionis dominiorum autor in præcepto septimo, & hujus etiam præcepti νομοφύλακα esse voluerit magistratum gravissimè in eum invehitur, & pœnas decernit atrocissimas, si ipse subditos, quos tueri & parentis loco fovere debebat, suis bonis ac possessionibus injustè expoliet, quod etiam fit, quando res nummaria non rectè curatur Prov. 30, 15. Hos. 4, 18. Amos 4, 1. & 5, 11. Mich. 3, 1. 2. Exemplo est Achab, Nabotho per vim & fraudem vineam eripiens 1. Reg. 21, 2. 7. 10. 19. 21. nam judicium severum exercetur in eos, qui præsunt, & potentes potenter inquirentur Sap. 6, 6. cui enim multum datum est, ab eo multum requiretur, Luc. 12, 48.

Magistratus nulli sua eripiat.

II. Catulis suis, leunculis suis] Plerique avari & iniqui congestores propterea ita per fas & nefas bona multa colligunt, ut filiis suis amplissimum relinquant patrimonium, quod tamen sæpissimè illis potius obest, quam prodest, quia malè ipsi sunt educati, & benè illo tui nesciunt. Quemadmodum autem dicit prudenter *Plutarchus:* Hi parentes calceum curarunt, & pedem, cui ille inservit, neglexerunt. Vide Sir. 14, 3. seqq. & c. 30, 10. & 10, 22. seqq. Prov. 10, 2. 3. 16. & 11, 18. & 21. ita & multi frustra congerunt opes, quando non curatur, ut sint in filijs ingenij & virtutum dotes.

Caput Secundum

Pars Posterior.

Vers. 13.] Hæc autem quando ego Deus tuus paulisper dissimulo, & taceo, tu putas, quod ego hæc nesciam Psal. 50, 21. 22. Sed ego benè novi omnia, & ecce jam ad vindictam propero, *ecce me contra te*, quæ est attendendi particula, phrasisq; in prophetis usitatissima tum, cùm Deus magnum, certum ac citò venturum comminatur supplicium Ezech. 26, 3. & 28, 22. & 29. 3. infra c. 3, 5. Ego Deus ipse harum calamitatum ero autor, *dictum est Jehovæ Domini exercituum*, qui sum verus ac omnipotens Deus, ita ero contra te, ut *comburam fumo currus ejus*, Nineves puta, fumo, inquam, ac primo impetu, ut ne opus quidem sit igne, & *juvenes leones tuos consumet gladius*, reginam stirpem ac prosapiam prorsus exscindendam curabo, ne sint, qui de regno recuperando cogitent, *ita exscindam è terra rapinam tuam, neq; audietur amplius vox nunciorum tuorum*, tum blasphemantium nomen meum 2. Reg. 19, 9. tum subditis tuis in exteris regionibus tua mandata perferentium, quandoquidem dehinc nullum tibi amplius erit imperium, nulla autoritas, ut tuis legationibus leges feras gentibus exteris sed contra audientes rumorem de te complodent manum supra te, infra cap. 3, 19, & sine dubio respicit his verbis propheta etiam ad finem capitis præcedentis, q. d. vox legatorum tuorum conticesset, meorum autem nunciorum seu apostolorum vox deinde sonare incipiet, ut inde populus meus afflictus solatium percipiat Esa. 40, 1. 2.

Ecce.

A Deo est excidium Nineves.

LOCI COMMUNES.

Deus placatus & iratus.

I. *Ecce me contra te*] Benè illi, pro quo est Deus Rom. 8, 31. malè verò illi, cui se opponit omnipotens 1. Pet. 5, 5.

Jacobi

Jacob. 4, 6. Psal. 34, 17. Demus igitur operam, ut Deus nobiscum, quod vera pietate & precibus impetramus Jud. 6, 12. 13. Luc. 1. 28. & 24, 29. Illi enim omnia adsunt bona, quem penes est Deus Psal. 73, 25. 26. Quo verò fugiat, ubi tutus sit, qui Deum omnipræsentem habet inimicum, quade re dictum est pluribus Amos 9, 2. 3. 4. Obadi. vers. 4. Jon. 1, 4.

II. Ut cumburam in fumo currus ejus] Deus est, qui armat & exarmat milites, siquidem ipsius est potentia & victoria 1. Chron. 29, 11. Bellum igitur necessarium vel maximè inchoandum est precibus, 2. Chron. 20. 6. 1. Maccab. 3, 19. 50. & 4, 10. *Bellum precibus inchoandum.*

III. Juvenes leones tuos consumet gladius] Deus est fortes zelotes, visitans iniquitatem patrem in filios, in nepotes, in eos, qui odio prosequuntur ipsum, & parentum malorum sectantur vestigia Exod. 20, 5. alias enim filius bonus patris peccatum non fert Ezech. 18, 14, 20. *Malus filius luit peccatum patris.*

IV. Non audietur amplius vox nunciorum tuorum] Per Deum regnat reges, & si abunduntur suo imperio, etiam de sede potentiæ suæ ab eo dejiciuntur Prov. 8, 15. Luc. 1, 52. qui diligenter eos observat Eccl. 5, 8. Qua de causa omnibus in magistratu constitutis sit in conspectu illa pijssimi regis gravissima sententia: judices, videte quid sitis facturi, non enim pro homine judicatis, sed pro Jehova, qui vobiscum est in rebus judiciarijs, quare nunc insit pavor Jehovæ vobis 2. Chron. 19, 6. 7. *Magistratus Deum metuat.*

CAPUT TERTIUM.

Argumentum.

CAusas excidij Ninevitarum exponit propheta, videlicet inhumanitatem ac Idololatriam, & propter has eventuram *Summa.*

turam cladem hypothesi quadam egregriâ depingit, ignominiam & miseriam summam inde redundaturam in cives subjicit, & hoc ita certissimè futurum exemplo Alexandriæ confirmat; omnia, quibus se tutos fore confirmabant, adimit præsidia, dum summis & infirmis animi abjectionem, infamemq; fugam, plagæ magnitudinem, aliorumq; de eâ inflictâ sibi gratulantium lætitiam prædicit. Unde apparet, quod hæc concio argumento cum præcedente conveniat, & propterea habita sit, quod necesse fuerit eadem calamitates impendentes crebrò securis inculcare, ut iram Dei præsentirent, & vel pœnitentiâ actâ eam effugerent, vel impœnitentes ἀναπολογήτως perirent.

Ἀνάλυσις

Partes duæ 1. *Excidij causæ.* 1.

Partes hujus capitis, in quo confirmatio præcedentium ponitur, sunt duæ, quarum prior veras excidij Ninevitis prædicti causas duas potissimum indicat, injustitiam & idololatriam: utramq; enthymemate explicat: Illam; Nineve est civitas cædibus, dolo, & per vim rapto plena, & proinde valdè injusta ac inhumana v. 1. Ergo vastabitur celeriter & crudeliter per hostes; celeritatem in adveniendo declarat sonus flagelli, commotionis rotæ, equi plaudentis, & currus salientis v. 2. Crudelitatem in evertendo probant arma, eorumq; effectus miserabiles, v. 3. Hanc, videlicet idololatriam, ejusq; pœnam huic includit enthymemati: Nineve est maximè idololatriæ dedita, quod probat à factis; alias enim multas nationes in idololatriam suam abominandam seducit v. 4. Ergo ut meretrix quædam spiritualis tractabitur, cujus nuditas omnibus ostendetur v. 5. Porro ipsa cum ignominia maxima ejicietur v. 6. Et sic ab omnibus ei illudetur v. 7. Posterior hujus capitis pars falsas fiducia causas tollit; videntur autem præcipuè fuisse hæc: I. munitiones urbis,

2.

II fiducia causa falsa.

pis, naturâ loci valdè firmæ; respondet Propheta, eas cum urbe excisum iri, idq; Alexandriæ exemplo in Ægypto, argumento à minus ad magis ducto confirmat: Si Alexandria te longè munitior, fuit excisa, etiam tu exscinderis. Antecedens probat â præsidijs cùm internis, nempe auxiliaribus copijs, quæ illi fuerunt longè copiosiores v. 9. Sed illa nihilominus fuit excisa. & omnes ejus incolæ horrendis modis sunt tractati v. 10. Ergo tu quoq; sic perderis v. 11. omnesque tuæ munitiones facilimè evertentur v. 12. II. Incolarum numerus: Respondet Propheta, illum omnem numerum imbellem & timidum futurum, ut fœminas v. 13. III. Arces in aditu regionis extructæ, quæ hostis possint impedire adventum: Respondet Propheta, eas hostibus apertum & divinitus consumptum iri, ibid. IV. Arcium destructarum & copiarum deletarum reparatio; Respondet Propheta, frustra illam parari & ab hoste utrasq; superatum iri, v. 14, 15. V. Peregrinorum subsidia, qui pecuniam, nervum rei gerendæ, & omnis generis arma possint, advehere: Respondet Nahum, infidos & inconstantes illos futuros, & alio se, ingruente bello, collaturos v. 16. VI. Ducum militiæ virtutis & magistratus vigilantia: Respondetur, illam in timiditatem, hanc in somnolentiam ac torporem iri conversum v. 17. 18. VII. Populorum quibuscum hactenus amicitiam coluit, aut quos subjecit sibi, audientium συμπάθεια: Respondet Propheta, complosionem manuum & lætitiam ex eo rumore apud omnes orituram maximam, vers. 19.

47.

2

3

4

5

6

7

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Ut Propheta tantò magis moveat, exclamationis

tionis figurâ vestit orationem in initio, quæ tamen hoc loco indignatis & minitantis habet speciem: *Væ*, inquit, ô *civitas sanguinum*, h. e. scripturæ stylo, Psal. 5, 7. & 9, 13. Jonæ. 1, 14. Mich. 3, 10. & 7, 2. explicato, cædium per sanguinis effusionem factarum, seu homicidiorum, quæ Ninevitæ non foris modò in bellis injustis ac non necessarijs, verum etiam domi & privatim ex vindictæ cupiditate per iniquas judicium corruptorum sententias perpetrabant, sed præter has sædes & alia horrenda ibidem regnabant flagitia, inhumanitatem civium satis superq; testantia, nempe fraudes, violentia, rapina, quandoquidem ipsa civitas tota, quanta quanta est, *est mendacio & lacerato* plena, tota constans ex dolis atq; fraudibus, tum in privatis contractibus, tum in inveniendis causis, cur alios bello lacessant, quos cupiunt extinctum, ut ipsi solis sibi monarchiam parent, tum si causam ita capere nequeunt, nihil cogitant, quo jure, quave fiat injuria, sed more leonum, supr. c. 2, 10. 11. rapiunt ac lacerant. פֶּרֶק enim, quod hoc loco exstat, leonum crudelium est proprium, vide Psal. 7, 3. Unde satis benè hunc locum græcè vertit Symmachus κατατμήσεις καὶ μελισμοὶς πλήρης, plena est urbs sectionibus carnium & frustis per membra concisis. Nec; semel atq; iterum hoc facit, sed semper, continenter & sine intermissione prædatur, nullus rapiendi finis aut modus, nec; super facto ullo immani recipiscit, quamvis Jona prædicatione ad tempus antea resipuerit Jon. 3. Nam *non amovetur vel* recedit ab *illa rapina* prout alias intransitivè plerumq; verbum hebræum in scriptura accipitur, etiam in Hiphil. Exod. c. 13, 22. & 33. 11. Psal. 55, 12. Prov. 17, 13. Esa. 46, 7. Jer. 17, 8. quanquam & transitivè occurrat Mich. 2, 3. & 4. Job. 23, 12.

i. e. דָּמִים cædes.

פֶּרֶק

יָמִישׁ

Vers.

Vers. 2.] Quid igitur jam promerita est apud Deum? Vastationem atq; eam jam minantur magna alacritate advenientes Chaldæi. Nam ecce meas aures jam personare scias tumultu & strepitu bellico, siquidem eas in visione jam complet *sonus flagelli, & sonus commotionis rotæ & equi plaudentis, currusq; salientis*. currus & equites armati advenient, ut pro temporis illius ratione hypotyposi elegantissima exercitum adventandem describat, dum mentionem facit soni scuticæ, qua utitur auriga, eaque cursum moderatur & urget equorum trahentium currum bellicum, soni rotæ præferratæ, & equi generosi ac sonipedis hinnitus, qui

Ὑποτύπωσις exercitus adventantis.

—— Si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumq; premens volvit sub naribus ignem.

ut poëta pluribus explicat, quæ uno verbo הָהַר indicat propheta, ut non immeritò hic scribat Hieronymus, tam pulchra juxta Ebraicum & picturæ similis ad prælium se præparantis exercitus descriptio est, ut omnis meus sermo sit vilior.

הָהַר

Vers. 3.] Sed pergit in cœptâ hypotyposi sua Nahum, & quid porro futurum sit in ipso conflictu subjicit. Ibi enim erit *eques inducens* ac elevans & *flammantem gladium*, qui quod maximè acutus, tersus ac lucidus est, flammæ speciem quodammodo refert, præsertim sole lucente, confer Gen. 3. 24. Jud. 3, 22. 1. Sam. 17, 6. Job. 39, 23. & *coruscam hastam* nitore summo micantem, ut fulguris quandam referat speciem cùm celerrime in aëre lucido movetur. Sic Deut. 32, 41. Habac. 3, 10. Job. 20, 25. & adverte, non est inanis ille armorum fulgentium terror, vide sis effectum, *multitudinem confossorum & ingentem numerum cadaverum* talem, qui

Eques armatus.

לַהַב חֲרֶב

בְּרַק חֲנִית

ctiam terram ipsam gravet, ut vox hebæa innuit *denique infinita corpora, adeo ut impingant in corpora illotum,* qui ceciderunt in acie, sic nusquam pedem efferent, aut proferent, quin impingant ita cadaverum erunt omnia plena plenè occisorum, & ita vulneratorum, ut nequeant surgere, quorum illud notat vox hebræa פֶּגֶר significans mortuum corpus, hoc vox גְּוִיָּה corpus quodcunque, etiam adhuc vivum, denotans.

פֶּגֶר גְּוִיָּה

Vers. 4.] Tanta vero strages justo Dei judicio obtinget, cum propter summam inhumanitatem Ninevitarum jam explicatam, tum propter maximam idololatriam jam exponendam. Nam futurum est illud, quod hactenus prædixit Nahum & propter *amplitudinem scortationum* scorti pulcherrimi, & vaferrimi, *pollentis gratia,* & *magistræ præstigiarum,* veneficiorum, maleficiorumque, quod sibi vicinas gentes, totasque nationes subdolis suis artibus devinciebat, subijcicbat etiam, tantum non *venundabat* ac ut empta mancipia pro libitu tractabat, ac agebat *scortationibus suis* & *totas familias* dementabat, atque excantabar *suis præstigiis,* in qua parabolica allegoria juxta scripturæ stylum scortum speciosum vocat Nineven (alludens ad nomen hebræum נִינְוֵה quod sonat pulchram habitationem, ut vult Hieronymus, & cum eo multi alij) scortationes, idolatriam, quam reges Assyriæ per totum Orientem studiosè propagabant, præstigias & veneficia, artes subdolas, quibus illa usa alijs persuadebat, ut suo ritu numen suum colerent, ut exemplum quoddam luculentum testatur 2. Reg 16, 10. Venundare denique dicit, ita agere homines, ut sua venundata mancipia. Fundamentum hujus similitudinis est, quòd quum Deus Ecclesiam sibi desponsaverit, ex eaque sibi liberos

Nineve confertur scorto.

נִינְוֵה

Fundamentum collationis.

pro-

progignat, æternum victuros, si illa turpiter Deo vero relicto ad idola confugit suæ fidei conjugalis, Deo in fœdere & sacramento initiationis datæ oblita, scortari dicitur, & idololatria ut scortatio spiritualis hinc inde describitur in biblijs. Vide ex multis hæc pauca Exod: 34, 15. 16. Deut. 31, 16. Jud. 2, 17. & 8, 27. 33. 2. Reg. 9, 22. 1. Chron. 5, 25. Esa. 1, 21, & 23, 16, 17. Esa. c. 57, 3. 4. Jer. 2, 20. & c. 13, 6. 9. & 13. 27. & 23, 14. Ezech. 16, 15. 25. &c. & 23, 3. Hos 1, 2. & 4, 12. & 5, 3. & 6, 10. Mich 1. 7. Apoc. 2, 22. & 14, 8. & 17. 2. & 18. 3. Confer quæ dicta sunt Joel. 2, 18, & supra c. 1, 2. In specie verò, quod ad hunc locum attinet, illa est collationis ratio. Sicut enim meretrix primò habet corporis formam & venustatem, quo bono Dei dono illa turpiter abutitur; sic Nineve erat urbs formosa & famosa seu celebris propter venustatem, magnitudinem, locique commoditatem, quibus bonis & ipsa nefariè contra Deum abusa est. Deinde sicut meretrix, ut formam spectabiliorem & amabiliorem reddat, fucos adhibet, mundumque mulicbrem, qui totus ad libidinem compositus est, ut vel lasciva corporis ostendatione amatores pelliciat; sic Nineve omnia ad ostentationem & fastum in externis referebat, & incultu divino ritus humano ingenio valde arridentes, adhibebat, ut tantò facilius aliorum animos allicereret. Porro ut meretrix gestus corporis, dicta & facta pro cujusque amatoris ingenio callida fingit, &, siqui his nondum trahuntur, illis philtra & venesicia parat, quibus vincat & in nassam suam pertrahat, si qui ab illa turpitudine abhorrere vel refugere visi fuerint: Sic Nineve alijs regibus ac nationibus pro cujusque indole suam amicitiam vel offerebat, vel expetitam libens condicebat, dignitates item & opes pollicebatur & largiter confetebat ijs, qui verborum blanditijs

Idololatria est scortatio spiritualis.

In quibus conveniat Nineve cū scorte. 1.

2.

3.

vinci non poterant. Denicq; sicut meretrix ea astutia res suas instituit, atq; eâ arte homines tractat, ut qui semel illi animum addixerunt, in ejus servitutem quasi pertrahantur, & ab eâ velut mancipia agantur pro libitu: sic Ninive, quos semel in societatem receperat, sibi mancipabat, dum variis artibus tandem eos exueret imperio, in servitutem redigeret, tam animi, in sua idololatria, quam corporis, in sua tyrannide. Vendere autem seu venundare hic scripturæ phrasis est, & notat per metalepsin in possessionem tradere, tanquam venditum, ut explicatum est hoc supra Joel. 3, 6. 7, 8. Amos 2, 7. unde intelliges, quid sit, quando dicitur aliquis venundatus *ad faciendum malum*, h. e. à Deo justè in sensum reprobum traditus 1. Reg. 21. 20. 25. 2. Reg. 17, 17. 1. Maccab. 1, 16. Cum qua tamen phrasi cave confundas illam apostolicam de se ipso homine apud Deum in gratiâ constituto, ut patet ex versu 25. & 1, 2. c. 8. prolatam πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν Rom. 7, 14. Non enim simpliciter hæc, similiaq; ibidem de Apostolo dicuntur, sed secundum quid. seu propter malas carnis reliquias semper in hoc mortali corpore usq; ad vitæ finem hærentes, etiam in maximè pijs contra suam voluntatem, atq; ita malam radicem seu peccatum originis notat, propter quod olim in Adamo sit & *ipse venditus* sub peccatum, ut id ei, dum vivat, etiam invito adhæreat, Confer Rom. 5, 12. 16. 19. Hebr. 12. 1. Rom. 8, 23, 24. Qua de re aliàs cum Deo pluribus.

4.

Vendere per metalepsin usurpatum.

Rom. 7, 14.

Vers. 5.] Nunc redeo ad Prophetæ nostri textum, ubi occasione præcedentis similitudinis idem Ninive eventurum dicit, quod scortis, quorum fœditas jam nota est; His enim amatores primùm vestes à se ipsis donatas detrahunt, quibus superbiebant: Deinde ea ignominiosè ejiciunt, ut luto,

luto conspurcentur. Ne enim Prophetam saltem agere existimes, *ecce me contra te, dictum Jehovæ exercituum, ego*, ô Nineve, *retegam fimbrias tuas in faciem tuam*, replicabo eas sursum, ut retegaris & nuda conspiciaris, h. e. extremo dedecore te afficiam, siquidem major mulieri infamia accidere non potest, quam si ipsa retegatur, nuda videatur, & palàm omnibus ostendatur Esa. 47,3. Jer. 13,22. 26. Ezech. 16. 37. & id vult sequentibus verbis *ut ostendam gentibus*, quæ hactenus quasi forma tua commotæ te coluerunt, *nuditatem* & deformitatem *tuam* & *regnis* seu nationibus, quas in tui admirationem rapuisti, *ignominiam tuam*, ut agnoscant artes & fraudes, quibus eas circumvenisti, teq; propter eas oderint, & cum perspexerint tuam superstitionem, se abs te sejungant, ac veluti si amatoribus quis fœditatem nudi scorti ostenderet, etiam in illis locis, quæ natura tecta esse voluit (id quod vox hebræa prior propriè innuit, ut loci paralleli ostendunt) ipsi rei turpitudine commoti, hoc probròse ita denudatum essent relicturi: Sic tui beneficiarij & vasali tua clade moniti, qua tuorum deastrorum patebit infirmitas, & tuam turpitudinem aspicientes, tuam religionem seu potius idololatriam deserent.

Dedecus, mulierem denudari.

Vers. 6.] Quin in signum detestationis maximæ ego per alios *proijciens* in te *res detestandas*, veluti lutum, cœnum, stercus, qualia solent conijci in meretrices publicâ infamiâ notatas, *turpitudine te afficiam* summâ, atq; ita te conspurcabo & defœdabo, ut *disponam te, ut speculum*, eadem in te exemplum ac παράδειγμα Matth. 1, 19. vindictæ & maledictionis, ut quoties deinceps de aliquo magno supplicio aut insigni calamitate narrabitur, statim in exemplum adducaris, omnesq; in memoriam sempiternam in te respi-

Disponere ut speculũ.

cientes discant, quam ego in humanitatem & idololatriam detester & sis præ magnitudine plagæ tuæ talis, in quam omnes prætereuntes oculos conijciant, tanquã in speculum

רְאִי id quod notat hoc loco vox hebræa רְאִי, a רָאָה i. e. vidit, ita ut conveniat cum רְאִי, quod aliàs notat speculum. Ex omnibus enim apparet hoc loco id passivè, non activè vertendum esse, sicut & sequitur in textu.

Vers. 17.] *Eritq́, ut unus quisq́ videntium te, aberret abs te*, subducat se. te visa, fugiat, deflectat de via, conspectum tuum effugiat, teq́ de industria refugiat Luc. 10, 31. 32. ac dicat *vastata* ac prorsus diruta est *Nineve, quis movebit ei?* Ellipsis est scripturæ, scilicet labia, & hæc ejus peculiaris phrasis significat alloqui aliquem seu cõsolari verbis bonis, ut sit aliquantò plusquam condolere, siquidem condolere possumus, etiam absentibus, movere seu alloqui non nisi præsentes, idq́ sequens ἐξήγησις satis indicat, quæ ita habet: *Unde quæram consolatores tibi.* Interim ut constet de scripturæ analogia, vide & expende hæc loca Job. 2, 11. & 16, 5, & 42, 12. Psal. 69, 21. Esa. 51, 19. Jer. 15, 5. & 16, 5. & 22, 10. & 31, 18. & 48, 17. ac scies, quod movere alicui, sit solari aliquem.

Movere i. e. solari.

נוד cum dativo.

LOCI COMMUNES

Ex versu 1.]

Væ denunciatur peccatoribus.

1. *Væ*] Deus peccata atrocia tandem atrocibus pœnis vindicat, & ante væ denunciat. Potest hoc per omnia decalogi præcepta deduci, siquidem generalis est regula: Si improbus sum, Væ mihi, Job. 10, 15. Væ vobis viri impij, qui quidem dereliquistis legem altissimi, Sir. 41. 11. 12. & ut tantùm de his vitijs agamus, quæ hîc nominantur, Væ illis, qui in via Cain ambulant Epist. Jud. v. 11. Væ civitati sanguinariæ cædibusq́ plenæ, Ezech. 24, 6. Habac. 2, 12. Deus perdet omnes, qui loquuntur mendacium Psal. 5, 7. Væ tibi qui spolias, Esa. 33, 1. Væ conjungentibus domum domui, Esa. 5, 8. Væ ædifi-

ædificandi domum suam injustitia, & cœnacula sua injuriâ Jer. 22, 13. Væ multiplicanti non sua Hab. 2, 6.

II. Civitati sanguinibus, id est, homicidiis refertæ] Homicidia sunt gravissima peccata, quorum atrocitatem exaggeratam vide apud alios, præsertim eos, qui in quintum decalogi præceptum scripserunt. Fieri autem hoc potest ex persona Dei, tum quod hominem ad sui imaginem condidit, tum quod toties severissimè prohibuit Gen. 9, 6. Ex persona hominis, tam occidentis, qui quavis belua pejor, cum hæ non sæviant in suam speciem, quam occisi, qui fuit proximus, omnibus modis juvandus, & si Deus extraordinariè tam graviter hæc punivit, quidni ordinariè liceat magistratui Dei vicario occidere homicidas, quod negant Anabaptistæ. *Homicidiorum detestatio.*

III. Mandatio tota est plena] Deus veritatis autor, imo ipsa veritas, mendacium maximè aversatur Zach. 8, 17. diabolus autem mendax est Joh. 8. 44. Qua de re vide eos, qui in octavum decalogi præceptum scripserunt. *Veritas amanda.*

IV. *Lacerato plena, non amovet rapinam*] Violentia & rapina, licet frequentia, maxima tamen sunt flagitia: Vide præceptum decalogi septimum, unde, qui volet, huc plurima cogerat: Mihi indicasse sufficit, qui hoc non ago, ut magna comportem volumina, aut meis solius ac bibliopolæ rebus cum aliorum damno prospiciam. *Rapinæ cavenda.*

Ex versu 2.]

Sonus flagelli] Qui Deum in beneficijs nolunt agnoscere patrem, coguntur eum in pœnis severum experiri judicem, & qui negligunt gratiam, tandem justam ejus sentiunt iram, Psa 7, 12. 13. 14 Luc. 19, 42. 44, Prov. 1, 24. seqq. Leu. 26 Deut. 28 Sir. 5, 7. *Dei ira.*

I. Eques inducens flammantem gladium]

Quis fuit, horrendos primùm qui protulit enses?
Quam ferus, & verè ferreus ille fuit!

Gladiorum abusus.

exclamat profanus poeta: Quod autem illi omnes hi sint, qui contra Dei præcepta ex destinatâ animi malitiâ peccant

declarat hic sanctus Dei Propheta, Confer v. 1. est enim bellum, una ex calamitatibus, quas Deus toti regioni rebelli solet immittere 2. Sam. 24, 13. Ezech. 5, 16. 17. & 13, 17. 19. Qui igitur non vis milites audire tonantes ferro, audias Deum tonantem in verbo, & roga cum piissimo rege, ut sit pax & stabilitas diebus tuis, Esa. 39, 8. Psal. 122, 7. 8. & 85, 9. 10. 11. 12. & 67.

Moriuntur peccatores.

II. Multitudinem confossorum ingentem numerum cadaverum] Mors omnis peccati stipendium, Rom. 5, 12. & 6, 23. violenta tamen præcipua ejus, quòd sit elata manu contra Deum & proximum Psal. 55, 24. Amos 6, 10. exemplo est Simri & Cosbi. Num. 25, 8 14. Filij Heli, 1. Sam. 2, v. 25. & 4, 11. Balsazar, Dan. 5, 4. 30. Absolon 2. Sam. 18, 14. Her & Onan Gen. 38, 7. 9. Israelitæ 1. Cor. 10, 5. 6. 7. 8. 9, Ananias & Sapphira Act. 5, 5. 10.

Ex versu 4.]

Flagitia apertè arguenda.

I. Propter amplitudinem scortationum scorti] Scelera publica & flagitia notiora redarguantur apertè & severè 1. Tim. 5, 20. 21. & 4, 2. Tit. 1, 13. Exemplo Prophetarum, Christi, & apostolorum, vide supra c. 1, 1. L. C. II.

Idololatria cavenda.

II. Si credentes sunt Dei sponsa, Psal. 45, Eph. 5. Cantic. Cant. 1. seqq, & infideles scortum spirituale, quod ipse est ignominiosè dimissurus, Ezech. 16. caveamus cum omnia alia peccata, tum præcipuè idololatriam, qua quia alij honorem & amorem sponso nostro debitum deferimus, ipse statim ad zelotypiam commovetur gravissimam, & a se expellit Jer. 3, 3. Ita tamen, ut in hac vita sit spes veniæ, ibidem v. 7. 8, Qui verò servaverit fidem in baptismo datam, huic corona justitiæ reposita est in cœlis 2. Tim. 4, 7. 8. Et hic ad nuptias agni beatas admittitur Apoc. 19, 7. 9. & 21, 9. 10.

Ex

Ex versu 5.]

Donorum Dei abusus punitur.

Retegam fimbrias tuas in faciem tuam, ut gentibus ostendam nuditatem tuam] Quando homines bonis Dei donis abutuntur contra ipsum, his eos privat, ut agnoscant suam miseriam, & Dei, qui dederat, beneficentiam, Hos. 2, 8. 10. Ezech. 16, 17. 18. 19. 52. Sicut in genere de hominibus omnibus ostendit parabola dispensatoris iniqui Luc. 16, 1. seqq. Ne igitur dicas, dives sum, cum non noris, te esse pauperem & nudum Apoc. 3, 17. Consilium tibi do, compares tibi vestimenta alba, ut induaris, ibid. v. 18. Nam beatus, qui in adventu Domini sui vigilat, & servat vestimenta sua, ne nudus ambulet, & spernantur pudenda ipsius Apoc. 16, 15.

Ex versu 6.]

Pios gloria, impios dedecus manet.

I. *Projiciens in te res detestandas, turpitudine te afficiam*] Honorantes se honorat Deus, ac contemptores ejus leves fiunt, 1. Sam. 2, 30. ut evadant in caudam, h. e. sint infra omnes infimos Deut. 28, 44. Nam gloria, & honor, & pax omni operanti bonum Rom. 2, 10. Contra qui peccant in Deum, gloriam eorum ignominia commutat, Hos. 4, 7. ut saturentur ignominia præ gloria Habac. 2, 16. gloria, qua superbiebant nimium: nam ante confractionem superbia & ante lapsum alti sum spiritus, Prov. 16, 18. & 18, 12.

A Deo edunntur exempla.

II. *Edam in te exemplum*] Deus quosdam etiam in hac via punit gravissimè, ut inde alij exemplum capiant, & periculum in illis faciant, sibi quòd ex usu sit. vide hæc loca Num. 5, 21. Deut. 28, 37. & 29, 23. 1. Reg. 9. 7. 8. 2. Chron. 7, 20. Ezech. 5, 15. & 14, 8. 2. Thes. 1, 5. Hebr. 4, 10. Epistola Jud. v. 7.

Ex versu 2.]

I. *Erit ut quisq; videntium te aberret abs te*] Notatur

Amicorũ perfidia.

hic plerorumq́ amicorum perfidia, de quibus verissimum est illud distichon:

Tempore felici, multi numerantur amici,
Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

Vide Obad. v. 7. L. C. I. Quare si cum peraturus es amicum, in afflictione compara eum, neque cito credas te ipsum ei, &c.

πολλοὶ γὰρ πόσιος καὶ βρώσιος εἰσὶν ἑταῖροι Sir. 6, 7. 8. 9. 10. 11. 12. seqq. & 12, 7. seqq.

Nullus ad amissas, ibit amicus opes.

Sicut idem experientia teste & naturæ luce monuerunt sapientes ethnici.

Impijs non est succurrendum.

II. Vastata est Nineve, quis solabitur eam] Quum pereunt improbi, cantus exercetur Prov. 11, 10. Nam homo si est oppressus propter sangvinem hominis, ad foveam usq́ fugiat amicus, nemo sustentet eum Prov. 28. 17. & qui alios crudeliter opprimit, meritò crudeliter opprimitur, juxta communem regulam: Ut fecisti, ita fiet tibi Obad. v. 15.

PARS POSTERIOR.

Si Alexandria potest everti, etjam Nineve.

Vers. 8] Quoniam autem videtur esse ἐκ τῶν ἀδυμάτων, ut in has angustias redigatur Nineve, exemplo rem brobat Propheta, hoc modo: Non est, ô Ninevè quod putes, quando superbia animi tui te sceducit, Obad. 3. 4. te adeo munitam esse, atq́ adeo constabilivisse tuum regnum, ut Deus illud irripere nequeat. Vanam enim hanc fiduciam esse vel inde apparet, quod Deus ille longè munitiorem urbem Alexandriam Ægypti possit perdere. Cur igitur tu non capiaris & evertaris, sicut illa? *An melius esset tibi, quam No nutritiæ,* quæ est quasi mater & nutrix totius Ægypti.

No nutritia.

Ægypti, opum amplitudine & emporij celebritate, an existimas meliorem fore conditionem tuam, aut mitius tecum actum iri, quam cum illa munitissimâ Ægypti urbe, quæ jam No dicitur, sed postquam eversa est, ab Alexandro Magno, longè post reædificata, nomen ab eo accipiet, & dicetur Alexandria, quod cognomen esse Noveteris destructæ & post restauratæ autores sunt hebræi, Chaldæus paraphrastes, & Hieronymus, & situs Alexandriæ è Josepho lib. 2. de bello Judaico c. 16. descriptus his verbis: Alexandria multitudine & divitijs abundans, magnitudine Jerosolymæ non impar: habet siquidem in longitudine stadia triginta, in latitudine decem. Munitur undiq; aut incommeabili solitudine aut importuoso mari, aut fluminibus, aut cœnosis paludibus, sicut & â Q. Curtio lib. 4. idem probatur, & quæ hic apud Prophetam sequuntur, quod fuerit *sita inter rivos*, vel Nilum magnum illum fluvium κατ' ἐξοχὴν plurali numero dictum, ut supra c. 2, 6. qui eam cingebat, ut refert Strabo lib. 17. Commoditates inquit, habet multimodas, duo maria locum undiq; alluunt; alterum à septentrione, quod Ægyptium dicitur, alterum à meridiæ Marejas lacus, & Mareotis appellatur. Eum Nilus multis fossis è superioribus partibus tum è lateribus actus implet, per quas multò plura importantur, quam è mari, adeo ut protus, qui ad lacum est, ditior sit marino: vel cenosas paludes, & quod aquis sit circumdata, *cui præmunitio*, seu antemurale sit ipsum *mare & à mari est murus ejus*, quemadmodum in locis ex Josepho & Strabone allegatis prolixius videre est.

Est Alexandria.

Hujus situs describitur.

Vers. 9.] Neq; tantùm hæc præsidia habebat illa urbs loci naturâ, sed etiam multa auxilia externa. Nam *Æthiopia*, quæ exercitu erat quàm maximè instructa, 2. Chron 14, 9. &16

Æthiopia

& Ægypti potentia.

& 16. v. 8. *roborii ipsi erat*, & *Ægyptus* illa valde populosa, cujus erant gentes infinitæ, in qua, regnante Amasi, viginti milia urbium, teste Herodoto lib. 2. Confer Esa. 19. Jer. 46. Quin etiam *Puthæi & Lybies, ex africa tota Ier. 46, 9. erant auxilio tibi*, juverunt te, ô Alexandria strenuè, nec tamen à Nebucadnezaris à Deo immissi potentia te vindicare potuerunt, ubi tamen Phut & Lybia parum differre arbitror.

Alexandriæ eversio horrenda.

Vers. 10.] Quanquam autem ita probe ab omnibus præsidijs fuit instructa, quæ ad defensionem pertinere poterant, tamen *etiam hæc deportationi fuit, abiit in captivitatem*, eversa est ubrs ipsa, & cives abducti sunt in exilium, quotquot ex bello fuerunt superstites. Nam multos sustulit in expugnatione gladius, excidium secundum omnes ætates factum est, & nullum crudelitatis genus intermiserunt Chaldæi milites, siquidem, quæ est extrema sævitiæ species, *parvuli hujus civitatis* ab illis in saxa illisi sunt 2. Reg. 8, 12. Psal. 137, 9. Esa. 13, 16. Hos. 14, 1. & quidem *in capite omnium vicorum*, passim per cumpita, ubi multorum vicorum quasi capita i. e. initia, & hoc ad majorem pertranseuntium terrorem, cum videant, neq; innoxiæ ætati parci, ut cogitent, quid se reliquis adultioribus futurum sit, ubi & *super honoratos ejus urbis* senes, aliosq; in dignitatis colocatos fastigio, *projecerunt sortem*, ut addicerentur in servitutem Obad. v. 11. *Deniq; omnes magnates ejus vincti sunt compedibus*, catenisque ferreis, quia verbum hebræum est רתק unde רתוק catena ferrea. Notandum verò hic, quod loquatur Nahum prophetarum more, præterito pro paulò post & certissimè futuro posito, siquidem noster Propheta videtur omnino prior fuisse Jeremia & Ezechiele, sub quibus tamen No durabat, & vastanda erat Jer. 46, 25. Ezech. 30, 19, 21. quorum illo tempore

in quâ occisi parvuli,

& senes abducti,

רתק.

Prophetice hæc sunt prædicta.

tempore Josiæ, Jer. 1, 2. hic etiam post eum, tempore deportationis Babylonicæ Prophetare cœpit, cum noster Nahum tempore Hiskiæ regis, & paulò post seqq. regum vixisse credatur ob historiam Sennacheribi, de qua cap. 1. Etsi igitur præcisè quando hæc contigerit deportatio, non annotatum est in Biblijs: tamen valde probabiliter ex locis jam citatis, & præcipuè cap. 46. Jeremiæ colligimus, facta hæc esse & impleta, quando totam Ægyptum Nebucadnezar subigeret. Ubi non est, quod excipias, ita exemplum hoc huc minus qurdrare, cum inde confirmatur interitus Nineves: Prophetæ enim est Dei instinctu non minus exempla sumunt à præsentibus & futuris, quam à præteritis, ut ita cum illa viderint, etiam reliqua, quæ inde sunt probata, futura certissimè intelligant homines, vide Exod. 3, 12. 2. Reg. 19, 29. Esa. 7, 14. Matth. 24, 3. 1. Sam. 2, 34. Sic etiam Jeremias res propinquiores futuras in Prophetijs adhibet ad confirmandas eas, quæ postea longiore intervallo eventuræ sunt cap. 20, 28. 44, 49. Quod cum ita sit, probare Franciſci Junij conjecturam hoc loco non possumus, quasi hæc gesta sint præterito tempore, cum illa nullo certo nitatur fundamento, quod nostra explicatio habet, etiam in notis biblicis Junij.

Quando contigerint.

Prophetæ etiam à futuris confirmãt.

Vers. 11.] Hoc vero cum satis accuratè enarrasset Nahum, porro ad Nineven se convertit, sic concludens: Quemadmodum No, urbs illa potentissima miserè peritura est, ut versu præcedente dictum est: Sic etiam tu, ô Nineve: Quemadmodum illa mero furoris divini inebriata est, sic *etiam tu inebriaberis*, id est, scripturæ stylo, non tantum calamitatibus præmeris (quod vocat ipsa bibere Obad. v. 16.) sed prorsus opprimeris, hostium pudore ac metu te abscondes, *eris lati-*

Nineve evertetur.

Bibere inebriari.

latitans, neq; audebis prorepere in paucis tuis residuis, nam *tu quoq; desiderabis sufficiens robur propter inimicum*, cui hoc opponas, cum te tuo privaverit.

Vers.12.] Sed fortè aliquid fiduciæ collocas in tuis præsidijs, munita urbe, arcibus, propugnaculis & populi multitudine, me vide, mihi crede, nihil est. Nam non dicam, una aut altera, sed omnes *munitiones tuæ sunt* similes *ficubus* (sic enim hoc loco supplenda est similitudinis particula, quæ sæpe apud Hebræos deest, & ex toto contextu facilè potest suppleri. Nunc inspiciantur hæc loca Gen. 49, 9-14. Ps. 11. 1. Prov. 10, 20. & 11, 22, & 18, 4. Mich. 3, 12.) & *primitivis fructibus*, (ubi ⊐ conjunctionis copulativæ vim habet, ut 1. Sam. 17, 42. quemadmodum enim illæ & hi, *si moveantur saltem arbores, illico cadere solent in os comedentis*, ejus qui commesturus est, & ptopterea arborem concutit, sic tuæ munitiones facilimè dijcientur & expunabuntur, nulloq; negotio ad votum obsidentium concident, quemadmodum ficus statim abijcit suos grossos, à magno vento concussa Apoc. 6, 13.

Ellipsis particulæ similitudinis. ⊐

Vers. 13.] Multitudinem populi quid est quod prætendas? *Ecce populus tuus* erit *ut fœminæ*, animo omninò illis tui bellatores erunt similes Esa. 3, 12. Jer. 51. 30. & 48, 41. & *quidem in medio tui*, ubi deberent se viros præstare juxta proverbia: In tuo regno, in tuo loco & fano, intra tuas præsepes, ubi unusquisque audacior, sed vident malum ad se pertingere. *Nam inimicis tuis omnino aperietur porta terræ tuæ*, ut omnia pateant, & pervia sint hostibus, arces in finibus regni exstructæ, quas claves germani dicunt, in hostium devenient manus, atq; adeo facilè, ut nihil supra ac si sua sponte aperirentur, nam *absumet ignis*, ultionis divinæ

Viri fœminis similes.

vestes

vestes tuos. Vestes autem in scriptura notant potentiam aut robur quodvis civitatis aut regionis, & per Synecdochen, propugnacula fortissima, quibus se tutos fore credunt incolæ, ut vectibus & repagulis illi, qui sunt in ædibus, quarum januæ obdiderunt pessulum, vide 1. Sam. 23, 7. 1. Reg. 4, 13. 2. Chron. 8, 5. & 14, 7. Psal. 147. 13. Jer. 49, 31. Thren. 2, 9. Amos. 1, 5. Jon. 2, 7. Jerem. 51, 30.

Vestes i. e. potentia, propugnacula.

Vers. 14.] Tu tamen, quasi te esses defensura, ita præparabis omnia, quæ poteris: Age vero, *aquas obsidionis*, quibus sitim restinguas durante obsidione, *hauri tibi*, per Synecdochen, omnem commeatum intelligit, *firma etiam munitiones tuas*, quæ quodammodo corruerunt. Id ut possis, *prius ingredere in lutum*, idq; subige, ut inde lateres, ad munitiones firmandas pares, *calea argillam*, &, ut excoquere queas lateres jam confectos, *refice fornacem lateriariam.* Hæc omnia multa alia facies quidem, sed nihil proficies, siquidem & hæc dicta sunt ἐιρωνικῶς, qua de re supra c. 2, 1.

Aquæ obsidionis.

Vers. 15.] Nam ibi in tuis arcibus, dum ita eris in opere, *consumet te ignis* ultionis divinæ, & præcipuè bellum (vide Amos c. 1, 4. Joel. 1, 19. & 2, 3. 30. Amos. 7, 4.) id quod sequens ἐξήγησις dicit apertius, ibi *exscindet te gladius*, devorabit, *comedet* te, metaphora sumpta ab animalibus carnivoris, ut alias os gladij pro acie dicitur, comedet te, inquam, *melolontha*, de quo genere insecti dictum est Joel. 1, 4. quamvis tu te *tam numerosam efficeres*, atq; adeo, ô Rex, (masculinum genus verbi hebræi id innuit) fac te numerosum, *ut melolontha*, ita ut terram ipsam quodammodo graves, ut supra vers. 3. coge exercitum copiosissimum ex milite extranco & tu urbs ipsa

Ignis i. e. bellum.

ipsa Nineve (id quod genus fœmininū verbi hebræi notat) *numerosam te effice*, & multos ex tuis civibus in aciem producito, *ut locusta* magno cum agmine solet advenire, unde scriptura magnam congregationem ac multitudinem quāvis cum Locustarum copijs comparat Jud 6,5. & 7, 12. Jer. 46, 23. Judith. 2, 11. quæ & apud hebræos propterea nomen à multitudine habent אַרְבֶּה à רָבָה multiplicavit. Hæc omnia pro eo, quantum poteris, studiosè curato, tamen hostibus non evades superior.

Multitudo confertur locustis.

Vers. 16.] Nec̄ est, quod spei quippiam ponas in mercatoribus tuis, quasi illi sint pro te omnia facturi, omnemq̄ moturi lapidem, ut salua maneas in ipsorum usum. Nam quanquam tu *negotiatores tuos multiplicasti præ stellis cæli*, hyperbolicè, proprie vero notat valde copiosè, Gen. 15, 5. & 22, 17. & 26, 4. Exod. 32, 13. Deut. 1, 10. & 10. 21. & 28, 62. 1. Chron. 27, 23. Nehem. 9, 23. tamen non proderunt tibi tempore angustiæ, nam sunt velut bruchi & melolantæ, quæ sibi suisq̄ rebus consulunt, & postquam sibi prospexerunt de victu, abeunt. Nam ut *melolontha*, postquam *grassata est* & irruit, paulò post avolat: Sic etiam illi negociatores tui, rebus suis providentes tantum, & tibi ad regni patriæq̄ defensionem nihil succurrentes, citò avolabunt, cum bellum funestum ingruere viderint. Quibus tamen verbis nequaquam damnata ipsa mercatura, sed mercatorum malorum perfidia.

& stellis cæli.

Mercatores ut bruchi.

Vers. 17.] Ut vero in illis negociatoribus tuis nulla tibi consilij vel auxilij copia, sic nec in tuis ipsius principibus erit quicquam præsidij. Nam diademati & *comatuli tui*, qui comam studiosius nutriunt, ut olim abradendâ illâ abstinebant Naziræi ex voto, sunt *similes locustæ*, tum propter otium

Comatuli ut locustæ.

otium ignavum, quandoquidem fruges tantum consumere nati, tum propter metum, quod facile in fugam conjiciuntur, ut locustæ facilè territæ avolant, & *principes tui juniores* qui regi in aula ministrant, & peculiare dignitatis nomen ab ætate ab ortu habent Ier. 51, 27. ut dicantur טַפְסְרַיִם composita voce טַף i. e. parvulus, & סָר sive, שָׂר id est, princeps sunt sicut *locustæ locustarum* i. e. prægrantes, velut locustæ maximæ & voracissimæ ob summum luxum, ut sit גּוֹב גּוֹבַי hebraismus, similis illi, Rex regnum, Dominus dominantium, de quo Buxt. thes. p. 331. & גּוֹבַי pro גּוֹבִים, ut idem notat pag. 82. etiam illi fugam capessent, ut locustæ, quæ de nocte *tempore frigoris castra metantur per macerias* (potius verterim, quam per sepes, cum גְּדֵרָה cujus plurale hoc loco extat, significet murum & rudibus lapidibus congestis, sine calce ac cœmento) & ob copiam, justi exercitus speciem habet, sed mane *sole exorto errat*, aufugiunt, celeriter abeunt seu auolant (ut בָּרַח Cant. Cant. c. 8, 14. & φ'εύγειν Matth. 10, 23. accipitur) ita ut *non dignoscatur locus illius uniuscujusq́, vel ubi fuerint ipsi omnes*, sic etiam tui juniores principes diffugient hoc malo belli irruente, ut non cognoscas deinceps, ubi fuerint.

טַפְסְרַיִם

גְּדֵרָה

בָּרַח φ'εύγω.

Vers. 18.] Sed ne dicant Ninevitæ, ô Nahum, loqueris hactenus de hominibus inutilibus, quod nihil urbi sunt profuturi: Credo & concedo, sed scias, quod Nineve etiam habeat alios viros prudentes & rei militaris peritos. Huic igitur objectioni tacitæ quoquè occurrit Propheta, *dormitabunt pastores tui*, regni proceres, vide Mich. 5, 4. 5. 6. & 7. 14. *O rex Assyriæ*, somnolenti erunt, ut animum ad cogitandum nequeant instituere, animis consternabuntur, quando sentient, non posse ad salutem couverti hoc malum divini-

Pastores i. e. proceres.

tus immissum, & *jacebunt magnifici tui*, *abundabunt*, abundantissimè diffugient & diffundent se *populus tuus super istos montes*, dispersus ut oves, quæ carent pastore, dum *nullus eas congregat* in caulas.

Vers. 19.] Hisce jam ita expositis, conclusio subijcitur, quâ & pœnæ magnitudinem, & ejus causam præcipuam propheta repetit, ut hunc quasi aculeum in animis auditorum relinquat, quò sæpius & diligentius horum recordentur. Sic autem per gradationem progreditur: nulla est plagæ tuæ, ô Nineve, curatio, nulla mitigatio, nulla consolatio, & plane irreparabilem accepisti cladem. *Nulla est contractio fracturæ tuæ*, i. e. curatio, quia quando incipit curari vulnus, tum cutis circumcirca corrugatur, *ægra est plaga tua*, ægra, quia ægros facit, qui illâ sunt affecti, sic Ier. 14, 17. & 10, 19. & 30, 12. *quicunq; audient rumorem tuum*, famam de te sparsam ad verbum, auditionem, vide Obad. v. 2. *complodent*, in signum lætitiæ suæ intus in animo conceptæ, *manu super te*, (quia hic lætantium est gestus, ut Psal. 47, 2. 2. Reg. 11, 12. Esa. 55, 12. Job. 17, 23. est legere, quantumvis diversis phrasibus) & probabiliter, siquidem ferè nullus est populus, quem tu non vexâris, & proinde meritò sibi quisq; de tuo gratulabitur exitio. Nam *quem non pervasit afflictio tua jugiter?* Certè plerosq; populos attigit, & proinde omnes illi nunc tandem in tua clade illâ miserabili præ lætitia gestient, dicentes: quomodo cessavit exactor, fregit Iehova baculum improborum, sceptrum dominantium Esa. 14, 4. 5.

Ægra plaga.

Complodere manu.

LOCI COMMUNES.

Civitatis salus.

Ex versu 8.]

1. *An melius esset tibi quam No?*] Civitas à Deo servatur

vatur, Psal. 46, 5. 6 7. & 127, 1. Esa. 37, 35. & propter impietatem perditur, quantumvis munita Sup. c. 2, 8. L. C. I. Amos 9. 3. Hobad. v. 4.

II. Nutritiæ] Deus propterea societates hominum voluit institui, ut alter alterius ope juvetur: idq; præcipit generali isto mandato, ut diligas proximum tuum, sicut te ipsum, Lev. 19, 18. & illo, quodcunq; vultis, ut faciant vobis homines, facite & vos ipsis Matth. 7. 12. Id ut tantô commodiùs fieri possit, etiam hunc ob finem secundarium (primarius enim est gloria Dei) condita sunt magna emporia, in quæ variæ importantur & exportantur merces in usum vicinorum, qui inde petere possunt, ad victum & amictum, item ad medicinam &c. necessaria:

Emporia.

Non etenim terræ ferre omnes omnia possunt.

In emporia verô ex varijs longeq; disitis regionibus exoticæ convehuntur merces beneficio navigationis &c. Meminerint autem hoc titulo monitæ urbes magnæ, ut sint nutritiæ, hoc est, alant potius & sustentent, quàm occidant miseros vicinos in oppidis & pagis nimio quæstui deditæ. Hoc ut innuatur in scripturâ, illæ fœminarum more describuntur, & hæc filiæ appellantur Num. 21, 25. 29. Iud. 11, 26. Vide plura de hac re in Amos, 5, 2.

sint nutritiæ.

& fœminæ.

III. Sitæ inter rivos] Quia hoc loco illud beneficium urbi Alexandriæ divinitus concessum celebratur, quod fuerit sita ad aquas & fluviales & marinas (Sicut pleræq; civitates Anseaticæ) ut ita utrinq; beneficio navigationis facilius exoticæ merces possint advehi, quantum hoc sit commodum nostris tributum, quo carent urbes à mari remotiores, diligenter inculcandum est. Quemadmodum beneficium Dei magnum celebratur, quod Zabulon ad portum marium

Beneficium mariquid moneat.

rium habitet, ad portum navium Gen. 49, 12. Jos. 19, 10. seqq. sic Dan Jud. 5, 15. Jos. 19, 40. & Tyrus ac Sydon inde prædicantur Ezech. 27, 3. seqq. Salomon 2. Chron. 8, 18. & 9, 21. Jehoschaphat, 1. Reg. 22, 49. Nam mare propterea etiam à Deo est conditum, ut illic naves ambulent Psal. 104, 25. 26 & nautæ videant celebrentq; Dei mirabilia opera Psal. 107, 23. seqq. & sicut Deo benedicente naves onustæ ac cum divitijs redeunt Prov. 31, 14. Sic eo irato pereunt, & ab eo confringuntur, Psal. 48, 8. 2. Chron. 20, 37. Esa. 23, 1. & 33, 14. Expectent igitur classes oceani Dominum Esa. 60, 9. cui mare & venti parent Matth. 8, 27.

Ex versu 9]

Deo fidendum, non hominibus.

I. Æthiopia robori erat & Ægyptus] Nulla est sapientia, nullaq; intelligentia, nullum Consilium ex adverso Jehovæ, equus aptatur ad diem prælij, sed Jehovæ est ipsa salus Prov. 21, 30. 31. Illi ergo est confidendum, non hominibus, quantum vis sint multi & potentes Psal. 62. Non enim est rex, qui servetur multitudine copiarum. potens enim non eripitur multitudine virium Psal. 33, 16. 17. 18. seqq. hi curruum & illi equorum, nos vero nominis Jehovæ Dei nostri recordamur. Psal. 20, 8. 9.

Fœdera.

II. Fœdera cum impijs inita parum prosunt, quando Deus puniturus est. Vide tractatum de fœderibus.

Ex versu 10.]

Civitatis excidium.

I. *Et hæc de portationi fuit*] Propter idololatriam & injustitiam vastantur civitates etiam munitissimæ Mich. 1, 7. & 6, 16. & 3, 1.

Pœna dilata.

II. *Parvuli si sunt*] Quo vindicta Dei tradior, eò est gravior, cum diu fuit spreta ejus longanimitas Rom. 2, 4. 5. & in externis malis sæpè malorum parentum culpam unà luere coguntur liberi Exod. 20, 5. Lev. 26, 29. Deut. 28, 32. 53.

Ex

Ex versu 11.]

I. Tu quoq; inebriaberis] Poculum est in manu Jehovæ, & vinum turbidum est plenum mixtione ex quo fudit, veruntamen feces ejus, quas expresserunt, bibent omnes improbi terræ, Psal. 75, 9. ut errent, sicut errat ebrius Iob. 12, 25. quum inebriantur, sed non vino, perfundit autem eos Iehova spiritu soporis alti Esa. 29, 9 10. Confer Esa. 51, 17. 22. Jer. 25. v. 15. Esa. 24, 9. *Jehovæ instar velut merum.*

II. Eris latitans] Quisquis male agit, odit lucem, Ioh. 3, 20. & quisquis male egit, coram Deo & hominibus se abscondere conatur Gen. 3, 10. sed frustra, quia oculi Jehovæ attendunt ad vias cujusq; nullæ sunt tenebræ, ubi se abscondant operarij iniquitatis Job. 34. v. 21. 22. Ne itaq; dicas, à Domino abscondar &c. Sir. 16, 17. 18. 19. 20. Impij quidem dicent in extremo die, colles tegite nos, Hos. 10, 8. Apoc. 6. 16. sed Deus omne opus adducet in judicium cum omni re occulta, sive bonum sive malum Eccl. 12, 15. 16. Vide Eph. 5. 12. 13. 14. Matth. 10, 26. *Opera tenebrarum in lucere darguentur.*

Ex versu 12.]

Omnes munitiones similes ficubus] Hac & similibus parabolis de maturis fructibus Amos 8, de messe & vindemia Joel. 3. declaratur Dei longanimitas, qui non facilè antè punit, quàm completa fuerit hominum iniquitas Gen. 15, 16. & peccata sunt quasi fructus in arbore (quæ hic est homo Ps. 1, 3.) pendentes, qui multos quidem sustinent ventos, cum sunt adhuc immaturi, sed ubi jam maturuerunt, sponte sua decidunt, & totum hoc seculum est quasi ver, quo bonæ & malæ arbores, i, e. homines pij & impij parturiunt & opera edũt, sed tẽpore messis & æstatis, h. e. vitæ finis & extremi judicij cũ fructus ad maturitatẽ pervenit, illi in horrea Dei congeruntur, hi igne inextincto cõburuntur Mat. 13, 30. & 3, 12. & huc spectat *Dei benignitas.* *Operæ sunt fructus.*

spectat illà parabola de ficu, unde sit desumendum signum venturi extremi judicij Luc. 21, 29. 30. ficus vero otiosa tum exscinditur Luc. 13. 6. 7. 8, 9. Confer Mich. 7, 1. Jer. 24, 2. seqq.

Ex versu 13.

Deus docet manus ad prælia.

I. Ecce populus tuus ut fœminæ] Deus Dominus ille exercituum & fons omnis roboris, confirmat manus ad prælium Psal. 144, 1. & cum ille non adest, animus maximorum bellatorum concidit Jos. 2, 11. & 5, 1. & 7, 5. Esai. 13, 6, Ezech. 21, 7. Supr. 2, 5. L. C. I.

Referat portas.

II. Aperientur inimicis portæ terræ tuæ] Deus portas terræ alicujus claudit & referat, Psal. 147, 13. 14. Jos. 1, 3. 4. 5. 6. Hinc narrat Josephus prodigij loco fuisse, quum in obsidione urbis Jerosolymæ ferrea porta sua sponte se aperiret.

Ex versu 14.

Fruſtrà, nisi Dominus.

Aquas obsidionis hauri tibi] Fruſtra omnia, nisi Dominus adfuerit Psal. 127, 1. Jehova irritum facit consilium gentium, consilium vero Jehovæ in seculum consistit, & beata illa gens, cujus Jehova Deus est, Psal. 33, 10, 11. 12.

Ex versu 15.

Impij nusquam,

Ibi consumet te ignis] Impij aut malefacientes nusquam tuti Amos 9, 2. 3. Psal. 139, 7. 8. 9. 10. Obad. v. 4. nec in arce regiâ reges, Pharao Exod. 8, 24. Belzasar Dan 5, 30. nec in templo Sennacherib Supr. c. 1, 14. Esa. 37, 38. Nec in asylo Joab Exod. 21, 14 1. Reg. 2, 28. 34. Nec in mari Jonas, c. 1, 4. Nec in spelunca quinque reges Jos. 10, 16. Contra pij ubicq; tuti sunt, quia Deus adest illis Rom. 8, 31. 38. In igne tres Danielis

pij ubicq; tuti.

nielis socij Dan. 21, 3. 29. In mari Exod. 14, 12. In fluvio Jos. 3, 16. Israelitæ, in navi discipuli Matth. 8, 26. Vide Hebr. 11.

Ex versu 16.

Multiplicasti negociatores tuos, avolabunt ut melolontha.] Indicatur hic, quod in amplitudine mercaturæ pleni sint multi violentiâ, quâ peccant Ezech. 28, 16. ut meritò probè cavendum suadeat sapiens, ne quis temerè ineat consilium cum mercatore de permutatione, Sir. 37, 12. Quia inter venditionem atq; emptionem peccatum ultro citroq; teritur, Sir. 27, 2. Prov. 20, 14. Interim mercatura ipsa non damnatur, cujus si tollitur abusus, manere potest usus, quod contra Anabaptistas quosdam est notandum. *Mercatura abusus.*

Ex versu 17.]

Diademati tui, principes juniorum sunt locustæ locustarum] Ignavum otium, luxuria & ἀσωτια in magistratu maximè reprehenditur Prov. 31, 4. 5. Esa. 5, 11. 15. 22. 23. & 28. v. 7. 8. Hos. 7, 7. *Luxus in magistratu.*

Ex versu 18.]

I. Dormitabunt pastores tui] Vigilantem oculum & aurem audientem, Dominus æquè facit utrumque Prov. 20, 12. In ira vero Deus dat personas, ad gubernandum ineptas Esa. 3, 3. 4. 5. 6. Agnoscamus igitur gratis animis, cum dedit personas aptas & idoneas Proverb. 29, 2. Eccles. 10, 13. 24. Sir. 10, 1. 2. 3. *Magistratus bonus & malus.*

II. Sunt velut pastores, qui populo benè præsunt [illegible] 44. ult. Jer. 23, 2. Vide Mich. 5, 2. 5. ubi autem non sunt dentia consilia, corruit populus Prov. 11, 14. & 15. 2[illegible] gunturq; ut oves, quibus non est pastor 1. Reg. 2[illegible] 27, 17. Judit. 11, 16. Ezech. 34, 5.

Ex versu 19.

Impiorum excidium

Nulla est contractio fracturæ tuæ] Morte improbum afficit afflictio, & qui oderunt justum, disperduntur Psal. 34, 22. Supra caput. 1, 9. L. C. 11. suos autem Deus percutit, & iterum obligat, vulnerat & curat, Hos. 6, 1. morte afficit, & in vitam restituit, decuit in infernum & reducit, depimit & extollit 1. Sam. 2, 6. 7. Idem Deus omnis gratiæ autor, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos perficiat, stabiliat, roboret, fundet, ut ipsi sit robur & gloria in secula seculorum Amen. 1. Pet. 5, 10. 11.

Esai. 52. v. 9.

פִּצְחוּ רַנְּנוּ יַחְדָּו חָרְבוֹת יְרוּשָׁלָ͏ִם
כִּי־נִחַם יְהוָה עַמּוֹ גָּאַל יְרוּשָׁלָ͏ִם׃



I. INDEX.

Autorum, quorum sententiæ in hoc Commentario vel laudantur vel refutantur.

Augustinus pag.	22	*Josephus*	59. 70
Buxtorfius	10. 12. 19. 65.	*Junius*	17. 61
Chaldæus paraphrastes	59	*Lutherus*	7. 17
Chemnitius	14	*Ovidius*	58
Curtius	59	*Phocylides*	58
Diodorus siculus	34	*Plinius*	11
Drusius	9	*Plutarchus*	43
Herodotus	26. 60	*Strabo*	59
Hieronymus	3. 17. 34. 49. 59	*Tibullus*	55
Horatius	19. 65	*Virgilius*	16. 49. 67

II. INDEX.

Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hîc declarantur.

7.	מָשֵׂא	49	דָּהַר	8.	אֵל
54.	*cum dativo* נוּד	48	דָּמִים	16.	אֶל *pro* עַל
9.	נָטַר	34	הֻצַּב	64	אַרְבֶּה
50.	נִינְוֵה	36	חַלְחָלָה	9.	אֶרֶךְ אַפַּיִם
12.	נְתַךְ	12.	חָסָה	16	בְּלִיַּעַל
15.	עוֹד *i. e.* עַד	65.	טַפְסְרַיִם	8.	בַּעַל חֵמָה
62.	*& i. e.* עִם	12.	יָדַע	65	בָּרַח
50.	פֶּגֶר	27.	יְהוֹרָה	49	בְּרֹק חֲנִית
48.	פֶּרֶק	48.	יָמִישׁ	30.	*est* μέσον גְּאוֹן
54.	רֹאִי	30.	*quamvis* כִּי	65	גּוֹב גּוֹבַי
32.	רָעַל	49	לַהַב חֶרֶב	9.	גְּדָל־כּוֹחַ
60.	רַתּוֹק	32	לַפִּיד	65	גְּדֵרָה
30.	*activum* שָׁב	18.	*negativè* מִן	50	גְּוִיָּה
32.	שַׁקַּק, שׁוֹק	29.	מֵפִיץ	11.	גָּעַר

Et Græcarum.

Ἐπιτιμᾶν 11
Παραδειγμα 53
Πεπραμένος 52
Φ'εύγω 65

III. INDEX.

Verborum & Rerum Memorabilium.

Abietes agitantur 32
Abundare 66
Ægyptus populosa 60
Ægra plaga 66
Æthiopia valebat exercitu 59. 60.
Affixa pronomina etiam passivè significant 18
Alexandria in Ægypto, quæ & qualis 58. 59. 60.
Allegoria à lustris ferarum 37
Amicorum perfidia 58
Analysis cap. I. 5. 6
II. 27. 28.
III. 46. 47.
Angustia non surget bis, est comminatio 15
Animus liquefit 36
Ανθρωποπάθεια 10
Aqua notat calamitates 13
Aquæ i. e. populi 35
Aquæ obsidionis 63
Argumentum & summa cap I. 5
II. 27
III. 46
Assyriis par pari referetur 13
Auditio i. e. fama 66
Bellum precibus inchoandum 45
est pœna 56
Beneficium maris magnum 67
Benoni pro paulò post futuro 14
Bibera i. e. mala pati 61
Civitatis salus 66
excidium 68
Civitates sint nutritiæ, fœmininæ 67
Cogitare malum contra Jehovam 25
Color rubeus seu coccineus 31
Comatuli sunt locustæ 64
Complodere manu 66
Consilium nullum adversus Jehovam 23
Conscientia mala 32
Contrahere nigrorem ollæ 36
Creaturæ coram Deo contremiscunt 11
Deo obediunt 20
Crudelitatis pœna 39

Currus

Currus militares 31
Deus est bonus 9. 12. 21
refugium in malis 22
malum prædicit ut caveatur 7
suos vindicat 30
punit per hostes 38
tegit suis alis 22
docet manus ad prælium 70
reserat portas ibid.
suos eripit 38
edit exempla 57
placatus & iratus 44
Dei benignitas 69
ira erga peccata 19
est velut turbo 20
velut merum 69
Deo confidendum 68
coram Deo irato nemo potest subsistere 21
cum Deo facile vincitur 40
Dispositio hujus prophetiæ generalis 4. 5
Disponere ut speculum 53
Divitiæ pereunt 41
Donorum Dei abusus punitur 57

Ecce 18. 44
Εἰρωνεία sancta 29. 38
Ellipsis particulæ sicut 62
Emporiorum finis & officium 67.
Enallagæ temporum 29. 30
Excellentia Jacob, quid? 30
à Ficu similitudo 62
Filius malus luit peccatum patris 45
Flagitia sunt arguenda 56
Fœdera 68
Frustra nisi Dominus 70
Genua labant 36
Gladiorum abusus 55
Gradatio 66
Homines comparantur arboribus 69
Homicidiorum detestatio 55
Hypallage 31
Hyperbole 32. 64
Idola perduntur 26
Idololatria est scortatio spiritualis 51
est cavenda 56
Ignis timetur 39
Ignis i. e. bellum 63
Impios dedecus manet 57
Impij comburuntur 15
nusquam tuti 70
sunt ut stipula 16. 25
comparantur spinis 24
& ebriis 25

Impis non est succurrendum 58.
Impiorum exscidium 72
Inscriptio libri 4
Interrogatio rhetorica affirmativa 11
Inundatio notat calamitates 13
Ira Dei 55
Ironia sancta 38
Lacedemoniorum vestis militaris 31
Liberationes corporales sunt typi redemptionis spiritualis 26
Locus rei perit, quando ipsa perit 13
Locustis confertur multitudo 66
Lorum frangere 17
Lumbos confirmare 29
Luxus pœna 42
Luxus in magistratu reprehenditur 71
Magistratus nulli sua eripiat 43
Deum metuat 45
Magistratus bonus & malus 71
Melolontha 63
Mercatores quidam ut bruchi 64
Mercaturæ abusus 71
Merum iræ divinæ 16. 69
Mirabilia in naturâ Deus facit 10
Montes commoventur 21
Mosis phrasi cur utantur prophetæ 20
Movere alicui i. e. solari 54
Mulierem denudari est dedecus 53
Mulierem fastus punitur 41
Nahum unde dictus & quis quando, quibus, quo fine prædicaverit 3 4
Navigationis commoda 68
Nihil Deo minus firmum 25
Nineve evertetur 13. 61
bellis fracta 14
confertur scorto 50. 51
piscinæ 34
Nineve deluditur 37
Nineves direptio est à Deo 35 44
Ninevitarum stupor 33
rex, raptor 37
No nuiritia eversa 58 59. 60
Nubes pulvis pedum Dei 10
Opera sunt fructus fidei 69.

Opera

Opera tenebrarum in luce redarguntur 69
Paronomasia 36
Partitio libri 4. 5
Parvulos occidere est summæ crudelitas 60
Pasto es id est, regni proceres 65. 71
Peccatores moriuntur 56
Pedes Evangelizantis 19
Pij castigantur, non planè perduntur 16. 22. 24. ubiq; tuti sunt 70
Pios manet gloria 57
Pluralis numerus notat excellentiam 33. 34
Pœna metus 42
Pœna dilata 68
Prolegomena 3
Prophetæ etiam à futuris confirmant 61
Prosopolepsia in docendo vitanda 8
Rapina vitanda 55
Repetitio habet emphasin 35
Roman. 7, 14. 52
Sanguis terret 39.
Sennacherib moritur inglorius 18
Senes vendere 62
Similitudinis particula deest 62
Sodomæ eversio 12
Stellis cœli confertur multitudo 64
Stipula facilè consumitur 15. 16
Summa hujus libri 3
Tenebræ i. e. calamitates premunt malos 4. 23
Ter cum idem repetatur 9
Terræ motus 21
Terra confertur vineæ 30
Testudo militaris 38
Timor 41
Tondere 17
Transire 17
Tyranni, eorumq; memoria tollitur 26
Væ denunciatur peccatoribus 54
Vastatio immittitur ob peccata 41
Vestes i. e. potentia, propugnacula 63
Vendere usetaleptice quid 52
Veritas amanda 55
Vicissitudo rerum 25
Viri roboris 38
Viri fœminis similes 62
Ut fulgur i. e. citò 32
Ὑποτύπωσις cladis Nineves 28
excercitus adventantis 49

S.

Menda, Lector, speramus esse pauca: Hæc tamen, si placet, ita corrige. Primis paginis addantur superiùs numeri. Pag. 8. in marg. lege בְּעַל p. 11. in marg. *Interrogatio.* p. 13. lin. 11. *inundationem.* pag. 15. l. 8. *eorum* pag. 20. l. 11. *turbine.* pag. 26. l. 8. *sedationem.* pag. 32. l. 19. *quicum.* lin. 20. *in textu*, pag. 33. l. 11. *successu.* pag. 40. l. 6. *subsistere.* Reliqua facilè emendantur. Vale.

Πάντα δόξα Θεῷ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729738469/phys_0084
DFG

ita una saltem Ecclesia, a qua qui discedit, it. Vi-
de plura Mich. 4. & 5. capp. Cum vero hic h ntio,
monentur pij de jugo Christi suscipiendo quod
pia antiquitas Christophori depingere vo c. *Christo-phorus.*

Ex versu 10.]

E regionibus transflumina] Ecclesia N. m ter-
rarum orbem dispersa est. Vide quæ dicta re Pf.
2, 8. & 8, 2. 10. Ioel. 2, 32. Amos 9, 12. Ho 9. 20.
Mich. 4, 12. 6. 7. ubi etiam de vocatione g versa-
li, de cujus complemento in Actis passim, . 2. *Ecclesia catholica.*

Ex versu 11.]

I. *Non erubesces ab actionibus tuis.*] P r ita
peccata condonantur, ut non ampliusco pectu
Dei fiat mentio. Vide Mich. 7, 18. 19. Esa 38 s san-
guine superinducto delentur, Psal. 51, 3. & ab-
luuntur ibid. v. 4. 1. Iohan. 1, 7. Hebr. 9, 1 dit in
cum, ignominia æterna non confundetur & 10,
11. non erubescent Psal. 25, 2. 3. Nam de eo cum
dicitur, non erubescet Iacob, neq; facies eju t Esa.
29, 22. 23. & Israel salvatur per Iehovam sal qui-
bus dicit, non erubescetis, neq; ignomini ini in
sempiterna secula Esa. 45, 17. *Peccatorũ remissio.*

II. *Removebo exultantes de fausto tuo*] æ ci-
ves tantum gloriantur in Deo suo Ier. 9, 3 . ex-
tollentes Dei potentiam & suam agnoscen tiam
2. Cor. 12, 6. 9. *Pij gloriantur in Deo.*

Ex versu 12.]

I. *Reliquero*] Ecclesia ex toto mundo ft in-
star *Ecclesia.*